

W. A. J.  
1788





918.

V. 10. 4.





6.

Q. D. B. V.  
DE

CONVERSIONE  
HOMINIS PECCATORIS  
AD DEUM, SIVE DE RE-  
SIPISSENTIA  
THESES THEOLOGICÆ  
PRÆSIDE

DN. JOHANNNE MUSÆO,  
SS. THEOL. D. & P.P. PRIM. PLUR.  
VENER. FACULTATIS THEOL. SE-  
NIORE, SPECTATISSIMO  
CTATISSIMO

*Die Septembris, horis locoque solitis  
ventilanda*

M. MATTHIA SEBASTIANO  
Yang / RATISPONENSI.

---

JENÆ,  
TYPIS BAUHOFFERIANIS,  
ANNO MDCC LXX.

5.





CONVERSIONE

HOMINIS PECCATORIS

AD DEUM, SIVE DE RE-

SIPICENTIA

THESSS THEOLOGICAE

PRAEVIDE

DN. IOHANNIS MVSÆO

SS. THEOL. D. & PP. PRIM. P. LUR.

VENER. FACULTATIS THEOL. SE-

NIORE, SPECTATISSIMO

CTATISSIMO

Die 24. Septembris, horis horis horis

per hanc

M. MATTTHIA SERBASTIANO

YONG. RATISBONENSIS

J. E. N. E.

TYRIS BAHNHOFFERII

A. M. D. C. C. C. C.





Σὺν Θεῷ

I.



Conversionis vox à convertendo dicitur, & quoniam usus loquendi fert in Scripturis, ut Deus peccatorem, & peccator se convertere dicatur, bifariam accipi solet, uno modo *transitive*, prout formaliter est actio *transiens*, qua Deus hominem peccatorem convertere, & peccator ab ipso converti denominatur; altero *intransitive*, quomodo est actio *immanens*, qua peccator se convertere dicitur: quod tamen non sic accipiendum est, quasi duæ realiter distinctæ sint actiones, sed una eademq; actio sumpta cum connotata dependentia à Deo, tanquam ab agente in alio, est & dicitur conversio *transitiva*; spectata autem ex parte subjecti per modum actus immanentis, & qui non transit in aliud subjectum, est & dicitur conversio *intransitiva*, quam alias usitatè *pœnitentiam* seu *resipiscentiam* appellamus. Qua de distinctione legi potest Plur. Reverendi & Excellentissimi Dn. Præsidis Disp. I. de *Convers. cap. I. & Disp. III. sub initium*. Præsens nostra opera occupabitur in conversione, posteriore significato acceptâ, quomodo cum *pœnitentia*, ceu dictum, coincidit.

II. Describitur autem hæc Scripturarum stylo per modum mutationis, intra duos terminos, unum *à quo*, alterum *ad quem* constitutæ, quoties verba  $\text{כּוּבַר}$  &  $\text{ἐπιστρέφειν}$ , quæ alias de motu locali accipiuntur, per similitudinem inde desumptam ad ipsam significandam adhibentur, terminis *à quo* & *ad quem* non raro expressè additis, ut *Ezech. XVIII, 21. & cap. XXXIII, 11. Jon. III, 9. Joel. II, 12. Act. XIV, 14. & cap. XXVI, 18. 1. Thess. I, 9. &c.* estque adeo, juxta Scripturas, spiritualis quædam animi mutatio, seu motus quidam spiritualis, quo homo peccator à peccatis & studio peccandi ad Deum quasi revertitur, hoc est, peccare desinit, & Deo adherere incipit.

A 2

III. Ejus



III. Ejus termini constitui possunt duplices, *formales*, quos suapte naturâ & intrinsecè attingit; & *objectivi*, sic dicti, quod formalium terminorum objecta sint.

IV. Terminus conversionis seu pœnitentiæ *formalis à quo sunt peccata*, cum quæ in actu contra legem Dei admisso, aut in omissione actus lege præcepti, tum quæ in habitu, eoque vel connato, vel actibus peccandi iteratis acquisito consistunt: quod docent Scripturæ, quando describunt eam ut aversionem à peccatis, *I. Reg. XIX. 35. à viis malis, II. Paral. VII, 14. ab impietate & iniquitate, Ezech. XLIX, 30.* quæ descriptiones non de nudis peccatis actualibus debent accipi, sed de illis, sumptis cum habituali in malum propensione per modum principii connotatâ. Cum enim habitualis in malum propensio sit habitualis quædam aversio à Deo, tanquam vero Domino, ad ea, quæ non sunt Deus, & nisi infringatur & cohibeatur, hominem faciat *servum peccati*, impossibile est aliquem à peccatis actualibus verè & seriò ad Deum converti, quin etiam habituales in malum propensionem, quantum potest, aboleat, ut ex *servo peccati servus justitiæ fiat, Rom. VI, 17. seq.* Confer argumenta, quibus laudatus *Dominus Preses* demonstravit conversionis terminum à quo etiam in ipso habitu peccandi constitui, *Disput. III. de convers. cap. l. §. XV. seqq.*

V. Terminus à quo *objectivus* sunt *objecta peccatorum*. Sic idola hoc ipso, quod ad idololatriam objecti rationem habent, sunt terminus *objectivus à quo* conversionis idololatrarum ab idololatria ad cultum Dei veri & vivi, qui fecit cælum & terram, quod expressè significat *Paulus in I. Thess. I, 9.* quando scribit, Thessalonicenses convertisse se *ad Deum ab idolis, ut serviant Deo vivo & vero.* Similiter divitiæ quatenus ad avaritiam objecti rationem habent, constituunt terminum *objectivum à quo* conversionis hominum avarorum ab avaritia sua & ab amore divitiarum ad amorem Dei.

VI. Terminus *ad quem objectivus* est *Deus*: quod significant Scripturæ, quoties describunt pœnitentiam per *conversionem ad Deum, ut I. Thess. I, 9. Act. XIV, 15. II. Corinth. III, 16. & alibi passim.* Et quidem Deus est conversionis terminus *ad quem objectivus*, in quantum homini peccatori reconciliandus est. Quemadmodum enim avertimur à Deo per peccata, dum ipsum offendimus peccatis nostris



stris, & ad iram provocamus; sic per respicientiam iterum ad eum revertimur, dum ipsi reconciliamur. Quo pertinet illud *II. Corinth. V, 20. reconciliemini Deo.*

VII. Terminus *formalis ad quem est fides in Christum*: ad hanc enim intrinsecè terminatur conversio, tanquam ad formam, qua homo peccator Deo reconciliatur, & primum cum Deo, ut placato, conjungitur.

VIII. Quod ad *fidem in Christum* intrinsecè terminetur conversio, patet ex eo, quia *fides in Christum* est id, per quod homo convertendus offensam Dei tollit, & iram ejus placat, ut peccatorum remissionem obtineat, qui proximus conversionis effectus est, *Act. III, 19.* Hinc etiam salvator dicit ad Paulum *Cap. XXVI, 18. nunc te mitto, ut aperias oculos eorum (Populorum & Gentium) ut convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos, qui sanctificati sunt, PER FIDEM, quae est in me.* Idem evincit descriptio conversionis, quod sit *μετάνοια εἰς ζῶην, ad vitam, nempe spirituales, morti spirituali oppositam, Col. II, 13.* quam qui vivit, per *FIDEM* vivit *FILII DEI,* teste *Paulo Gal. II, 20.*

IX. Quod verò conversio terminetur ad *fidem, tanquam ad formam,* qua peccator Deo reconciliatur, & primum cum Deo conjungitur, ut placato, facile etiam ostendi potest. Nam id, per quod peccator convertendus offensam Dei tollit, & iram ejus placat, citra dubium est etiam *forma seu ratio,* qua idem Deo reconciliatur, & primum cum eo, ut placato, conjungitur: sed *fides in Christum* est id, per quod peccator convertendus offensam Dei tollit, & iram ejus placat: Ergo *fides in Christum* est etiam *forma seu ratio,* qua idem Deo reconciliatur & cum eo conjungitur primum, ut placato. Major evidens est. Neque enim hominis reconciliatio cum Deo, seu prima ejus cum ipso, ut placato, conjunctio, realis & Physica quaedam ejus cum Deo connexio est, sed moralis, in affectu animi posita, quæ cum hoc ipso fiat, quod peccator convertendus offensam Dei abolet, atque iram ejus placat, neque alio pacto fieri queat, certè alia ejus *forma* assignari non potest, nisi id, per quod peccator convertendus offensam Dei abolet, atque iram ejus placat. Minor itidem clara est. Nam *fide* peccator con-



vertendus Christi mediatoris pro peccatis nostris præstitam plenam, & ad placandam iram Divinam undiquaque sufficientem satisfactionem apprehendit, Deo exhibet, cujus valore nostro modo intelligendi Deus movetur & inducitur, ut deposita ira, peccatori propitius esse incipiat. Quamobrem firma stat conclusio, quam etiam confirmat Apostolus Paulus, quando docet, nos per Christum perductos esse FIDE in hanc gratiam, id est, gratuitam cum Deo reconciliationem sive pacificationem, in qua stamus, Rom. V, 2.

X. Quemadmodum autem aliàs omnis mutatio in terminos suos, unum à quo abolendum, alterum ad quem acquirendum tendit; ita etiam conversio hominis peccatoris ad Deum, tanquam Spiritualis mutatio, sua natura in peccata, quæ termini à quo habitudinem obtinere diximus, abolenda, & fidem, ut terminum ad quem, acquirendam tendit.

XI. Porro quia conversio est mutatio mentis Rom. XII, 2. Eph. IV, 23. hæc ejus tendentia citra dubium in certis quibusdam actibus intellectus & voluntatis consistit: quales ergo hi sint, discernendum est.

XII. Primo ut constet, quales sint actus, quibus conversio fertur in peccata abolenda, duo prænotari debent, unum est, quid in peccatis aboleri possit? alterum, quot modis peccata aboleri possint?

XIII. Quod prius attinet, iterum duo consideranda sunt in peccatis cum actualibus, tum habitualibus, materiale & formale. Peccatorum actualium materiale consistit in actu peccandi præterito, seu in actu contra legem admisso, vel in omissione actus debiti seu lege præcepti. Habitualium materiale est ipsa habitualis propensio in malum. Formale dicimus hic non civitatem, ut aliàs, quam sub materiali complectimur, sed culpam & reatum pœnæ, quæ sunt relationes quædam ex actu vel habitu peccandi, ob eam à regula rectitudinis discrepantiam, resultantes, quibus homo formaliter culpabilis constituitur, & ad pœnam subeundam obligatur. Jam de materiali peccatorum actualium certum est, quod non demum per conversionem aboleatur. Nam actus peccandi præteriti hoc ipso quod præteriti sunt, desierunt esse; & ommissio actuum debitorum, quia formaliter non est aliquid positivum



ivum, sed negatio, vel hac de causa non est aliquid reale in peccatore. Quod autem in peccatore nullum habet esse, id per conversionem in eo aboleri non potest. Important quidem actus peccandi præteriti respectum ad peccatorem velut effectus ad suam causam, ob quem etiam extrinsecè eum peccatorem & peccasse denominant. Sed respectus hic per conversionem non tollitur. Non enim per eam efficitur, ut qui peccavit, non peccaverit: aliàs enim factum redderetur infectum, quod absurdum. *Habitualium peccatorum materiale* quod esse reale habet, tolli potest, quamvis non secundum se totum in hac vita, quam dum vivimus, fateri cogimur cum Paulo, quod *non habitat in nobis bonum*, Rom. II VII, 18, tamen quoad dominium, *ne scilicet regnet in mortali nostro corpore*. Cap. VI, 12. *Formale peccatorum* tam *actualium* quam *habitualium*, consistens, ut dictum, in culpa & reatu pœnæ, penitus & totaliter tolli potest, non quidem à *peccatis*, à quibus non differt realiter, sed à *peccante*, qui per justificationem talis fieri potest, in quo non est *κατάδικμα*, seu quod ad culpam & pœnam ipsi imputetur, cap. VIII, 1.

XIV. Ex dictis non difficulter intelligitur alterum, quod prænotandum esse duximus, videlicet quot modis *peccata* aboleri possint? Cùm enim quæ tolli possunt in *peccatis*, illorum alia *realem & physicam* entitatem peccatori inexistentem importent, ut habitus peccandi, alia *moraalem*, ut culpa & reatus pœnæ, sequitur, quod duobus modis peccata possint aboleri, vel *realiter & physicè* per *physicam & realem* expulsionem, vel *moraliter*. *Realiter & physicè* abolentur *peccata* per actus, & quas hi post se relinquunt, dispositiones, ortosque inde habitus oppositos: oppositorum enim ea est ratio, ut formaliter se invicem è subjecto expellant, & expellunt se eo modo, quo opponuntur, privativè quidem, quæ ut privatio & habitus opponuntur, contrariè autem, quæ contrariam ad se habitudinem important. *Moraliter* abolentur *peccata*, quando culpa & dignitas sive reatus pœnæ, modo suæ naturæ congruo, per remissionem scilicet, condonationem, non imputationem ab homine tollitur, atque adeò ut nec culpabilis, pœnaque dignus, neque in Deum injustus eique exosus amplius sit peccator, efficitur.

XV. Quo-



XV. Quoniam autem hoc non fit, nisi remotis iis, quæ ex parte peccatoris remissionem, condonationem, non imputationem divinam impediunt, quorum unum est *approbatio & ratihabitio peccatorum*, pœnitentiæ è diametro opposita; alterum *obligatio ad satisfactionem*, loco pœnarum æternarum, quas peccatis sibi attraxit, præstandam, absque qua peccator reatu pœnarum æternarum se non magis exsolvere & liberare potest, quam debitor, quem contracti æris alieni jam pœnitet, ære alieno absque præstita solutione se exsolvere & liberare potest: hinc patet, in *peccata moraliter* abolenda ferri conversionem removendo per Spiritus Sancti gratiam illa ipsa, quæ in causâ sunt, cur Deus peccatori remissionem, condonationem, non imputationem peccatorum suorum deneget.

XVI. Removetur vero *ratihabitio peccatorum* per oppositam *retractationem*, serio & ex animo susceptam; & *obligatio ad satisfactionem* loco pœnarum æternarum præstandam removetur, non quidem per propriam, quam, ut alibi ostenditur, creatura nulla Deo præstare potest, sed per *alienam satisfactionem*, quam ipse filius Dei pro nobis sufficientissimè præstitit, & interposuit *Rom. VIII, 3*. vera & salvifica fide apprehensam, nobisque applicatam. Hinc justificari dicimur *gratis*, Dei *gratiâ*, per **REDEMPTIONEM FACTAM IN CHRISTO JESU**, quem Deus proposuit *ilacine* *placamentum* sive *propitiatorium* per fidem in **SANGVINE IPSIUS**, *cap. III, 24*.

XVII. Actus ergo intellectus & voluntatis, quibus conversio hominis in *peccata moraliter* abolenda fertur, quinam sint, obscurum amplius non est. Videlicet sunt actus, quos importat partim *peccatorum retractatio*, partim apprehensio & applicatio *satisfactionis*, quam Christus pro peccatis nostris præstitit, seu *fides*. Importat autem *peccatorum retractatio* ex parte *intellectus* quidem agnitionem peccatorum, non quidem qualemcunque, quâ quis peccare, aut peccasse se novit, sicut scortator scortationum, fur furtorum, prædo rapinarum suarum sibi conscius est; sed quâ quis malè se fecisse, nec perseverandum in peccandi studio, sed de modo ac mediis, quibus peccata aboleantur, dispiciendum esse judicio pratico cognoscit. Ex parte *voluntatis* verò importat



tat eadem displicentiam peccatorum, eamque efficacem, quâ quis illa ut res suâ naturâ fœdas & abominandas, quæ Deum gravissimè offendunt, & æternas pœnas nobis attrahunt, detestatur, ut si possibile esset, infecta reddere vellet, & ab aliis similibus deinceps patrandis abhorreat. Hanc displicentiam consequitur dolor de peccatis cum morsibus & pavoribus conscientiæ. *Fides* autem importat ex parte intellectus notitiam de satisfactione filii Dei, deque remissione peccatorum propter illam, divinitus revelatâ, cum assensu divinæ revelationi innixo, eoque non tantum generali, sed etiam speciali, quo quis ad se descendit, & filium Dei pro se satisfecisse, Deumque sibi etiam propter hanc satisfactionem unigeniti filii sui peccata remittere velle firmiter credit. Ex parte voluntatis importat eadem fiduciam, seu acquiescentiam in satisfactione, quam filius Dei pro peccatis nostris præstitit, ut causâ consequendæ apud Deum gratiæ, remissionis peccatorum, & vitæ æternæ cognitâ ac creditâ, ut suo loco uberius ostendetur.

XIIX. Iisdem actibus conversio fertur etiam in peccata physice, quoad in hac naturæ infirmitate fieri potest, abolenda. Quippe hi ipsi actus, præterquam quod ad abolitionem peccatorum moralem, quoad culpam & reatum seu dignitatem pœnæ, diriguntur, sua naturâ etiam concupiscentiis & motibus carnis adversantur, & dispositiones post se relinquunt, propensione in malum oppositas, quæ tandem in habitus crescunt, qui cum omnimodæ carentiæ bonarum virium ad actus spiritualiter bonos eliciendos, tum habituali facultatum animæ pronitati in actus inordinatos & peccaminosos opponuntur: illi quidem ut habitus privationi; huic ut virtus vitio. Sic agnitio peccatorum adversatur securitati carnis, & iudicium practicum, quo intellectus in peccatorum, tanquam fœdarum Deoque exosarum & nobis perniciosarum rerum abolitionem incumbere jubet, contrarium est ejusdem iudicio pravo, quo in peccatis ut rebus corruptæ carni gratis & jucundis perseverandum esse iudicat. Displicentia, averfatio & detestatio peccatorum, item dolor de iisdem & conscientiæ pavores contrariantur complacentiæ & delectationi in peccatis, pravisque desideriis, & motibus concupiscentiæ cum deliberatis tum indeliberatis. Assensus, quem homo peccator præbet rebus, quæ

B de



de Christo Servatore, deque remissione peccatorum propter meritum & satisfactionem ejus divinitus revelata sunt, opponitur temerario & perverso intellectus sibi relictus de rebus istis Spiritualibus iudicio. Fiducia in satisfactionem Christi, ut causam consequendæ apud Deum gratiæ & remissionis peccatorum, adversatur diffidentia & desperationi. Atque hoc est, quod Paulus docet, *Gal. V. 17. Caro, inquit, concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, hæc autem inter se opposita sunt.*

XIX. Sic ergo de *tendentia* Conversionis in terminum suum à quo abolendum abunde constat. In *fidem*, ut terminum ad quem, acquirendam eadem tendit actibus & motibus fidei, initio languidioribus & tenuioribus, virtute Spiritus Sancti in animo convertendi peccatoris excitatis & crebro iteratis. Neque enim gratia fidei habitualis, ad quam conversio terminatur, in instanti tota infunditur à Spiritu Sancto, sed, ut scitè scribit *B. Chemnitius in P. 1. Loc. Com. de Lib. Arb. in principio desiderium est obscurius, assensus languidior, obedientia tenuior, & illa dona oportet crescere, crescunt autem in nobis non sicut truncus violento impulsu provehitur, vel sicut lilia non laborantia crescunt, sed conando, luctando, querendo, petendo, pulsando &c.* Nempe quemadmodum aliàs omnibus actionibus potentiarum animæ commune hoc est, ut post se relinquunt dispositiones, in actus & motus similes inclinantes, quæ actibus & motibus aliis crebro excitatis & iteratis auctæ, tandem in habitus naturales crescunt; sic etiam fidei actus supernaturales, qui sunt initio languidiores, quippe cum gravissima lucta carnis conjuncti, dispositiones post se relinquunt, in actus similes inclinantes, quæ actibus aliis perfectioribus, per gratiam Spiritus Sancti subinde excitatis, auctæ & corroboratæ, tandem in habitum fidei supernaturalem crescunt. Quod etsi Scholastici vocent in dubium, fusè tamen demonstravit *Dominus Praeses in peculiari disputatione de fide*, & quæ in contrarium afferri solent, ordine discussit.

XX. Cum vero *fides* in Christum non tantum sit ratio rediendi peccatorem cum Deo, sed simul etiam ratio peccata abolendi, imò per hoc, quòd peccatorem Deo unit, moraliter peccata aboleat, nemo non videt, quod *tendentia* Conversionis in terminum ad quem formalem acquirendum à *tendentia* in terminum  
à quo



à quo abolendum inadæquatè distinguatur, & hæc illam includat.

XXI. Ex his ita declaratis, quæ prolixius deduxit *Dominus Præses in Tractatu de Conversione*, satis intelligitur, quod duæ sint partes conversionis constitutivæ, CONTRITIO, & FIDES. Quibus enim actibus homo peccator tendit in terminum Conversionis à quo abolendum, & in terminum ad quem acquirendum, illis citra dubium conversio intrinsecè constituitur. Sed contritionis & fidei actibus tendit homo peccator in terminum à quo conversio- nis suæ abolendum, & terminum ad quem acquirendum. Ergo contritionis & fidei actibus, seu contritione & fide intrinsecè constituitur conversio. Major est evidens; cum enim conversio per essentiam sit mutatio quædam intra duos terminos, alterum à quo, ad quem alterum constituta, quemadmodum ostensum est hæctenus, sanè nihil ad essentiam ejus requiri potest, præter actus, quibus in alterum abolendū, & alterum acquirendum tendit. Id quod, si opus esset per inductionem omnium mutationum confirmari posset. Nam quælibet mutatio consistit in actu, vel actibus, quibus expellitur terminus à quo, & terminus ad quem introducitur. Minor autem propositio facillè probatur ex supra dictis, ubi docuimus, quòd homo peccator tendat in peccata sua abolenda partim per actus retractionis, puta displicentiam & detestationem peccatorum, cum dolore & moribus conscientie conjunctam; partim per actus, quibus satisfactionem Christi pro peccatis suis apprehendit, Deoque sistit, ut violato juri ipsius satisfaciat, & offensam ejus tollat; in fidem verò acquirendam per certos quosdam actus & motus gratiæ, virtute Spiritus Sancti excitatos & postea iteratos. Sed actus retractionis sunt actus contritionis: retractionem enim peccatorum Scriptores Ecclesiastici *contritionem* appellant; reliqui actus sunt fidei actus, quibus convertendus tam in abolenda peccata, quam in habitualem fidei gratiam acquirendam tendit.

XXII. Idem evincit realis identitas conversionis, transitive acceptæ seu regenerationis adultorum, & pœnitentiæ seu resipiscentiæ. Nam Spiritus Sanctus convertit hominem per peccata à Deo aversum, seu regenerat ipsum, non per præviam excitationem ad apprehendenda & amplectenda bona Spiritualia, quæ ab actibus Spiritualiter bonis, ab intellectu & voluntate illius eli-



citis, realiter distincta sit, sed per ipsos actus illos spiritualiter bonos, à se dependentes, ut alibi docetur, qui actus spectati, quatenus sunt actus immanentes intellectus & voluntatis, præcisâ dependentiâ à Spiritu S, quid sunt nisi conversio intransitivè accepta, seu pœnitentia? Nihil autem ostendi potest, in quo conversio transitiva consistat, præter actionem Spiritus Sanctis, qua in corde hominis seriam peccatorum agnitionem & detestationem, salutarem item cognitionem Christi redemptoris, & veram in ipsum fiduciam efficit. Præterquam enim quod his actibus positus illa ponitur, & sublatis ea tollitur, constat etiam, quod Spiritus Sanctus per verbum legis & Evangelii, quæ suum sibi locum in conversione transitiva vendicant, suasque partes obeunt, efficax sit. Lex autem peccata nobis ostendit, & ob oculos ponit, denuncians iram & maledictionem peccatis debitam: unde per legem Spiritus S, in corde hominis convertendi veram & seriam contritionem seu peccatorum agnitionem & abominationem, cum dolore de illis admisis conjunctam, operatur. Evangelium verò cor hominis de peccatis anxium & sensu iræ divinæ percitum erigit proposito mediatore Christo, in ara crucis pro peccatis nostris mortuo, cum amplissimis promissionibus de gratuita remissione peccatorum propter Christum. Per verbum Evangelii ergò Spiritus Sanctus Salutarem Christi Redemptoris cognitionem, & firmam in ipsius meritum fiduciam, seu fidem Salvificam accendit.

XXIII. Non tamen desunt, quæ videntur obstare. Primum enim haud præter causam dici posset, actus contritionis antecedere conversionem, tanquam id, quod removet prohibens, & viam potius ad eam esse, quam partem ejus, nisi enim peccator agnoscat sua peccata, sibi metipsum displicere, & vitam suam odisse incipiat, nunquam convertetur. Quo forte respexit Paulus, quando conversionem seu resipiscentiam expressè contradistinguit contritioni, tanquam effectum causæ: *Quæ, inquit, secundum Deum est tristitia, resipiscentiam efficit ad salutem II, Corinth. VII, 10.* Deinde fidem in Christum paulò antè terminum ad quem conversionis esse diximus: non autem apparet, quomodo id, quod est terminus mutationis alicujus, possit simul pars ejus esse, cum terminus sit aliquid permanens, partes autem mutationis consistant in motu seu tendentiâ, quæ acquisito termino cessat.

XXIV.



XXIV. Sed facile responderi potest ad has dubitationes  
Et quidem quod priorem attinet, verum est, quod actus contritionis  
se habeant per modum causæ remouentis id, quod prohibet, quo  
minus scilicet peccator adducatur, ut ope se indigere existimet, Dei  
gratiam impleret, & in unico Christi merito spem salutis collocet;  
quia tamen sua naturâ sunt actus & motus, quibus peccator,  
qui pœnitentiam agit, in peccatorum suorum destructionem  
& abolitionem fertur, negari non potest, quod partem con-  
versionis constituent, nisi in uniuersum negetur, tendentiam  
mutationis, intra duos terminos constitutæ, quâ fertur illa in  
terminum suum a quo expellendum, ad essentiam ejus pertinere. Ne-  
que contrarium *Paulus* docet citato loco. Nam absurdum non est,  
in mutationibus aliquid esse partem alicujus, & simul causam  
ejus efficientem: sic caloris sex graduum in aqua calida pars est ca-  
lor primi gradus, qui tamen simul causa ejus efficiens est com-  
paratione graduum reliquorum, ad quos introducendos in a-  
quam efficienter concurrat. Similem in modum *tristitia secundum  
Deum*, quâ quis ob offensam Dei & irâ ejus, peccatis provocatam, an-  
gitur, pars est *pœnitentiae ad salutem*, nihil quicquam obstante, quod  
etiam ejus causa efficiens sit, in quantum in peccatore seriam & ef-  
ficacem displicentiam & detestationem peccatorum ulterius cau-  
lat, atque etiam efficit, ut peccator anxius ope se indigere intelligat,  
& sic vivificæ consolationis Evangelii capax sit, quam post-  
quam arctè conjunctam habet, porro bonum propositum & stu-  
dium vitam emendandi excitat. Hoc sanè vult Apostolus, cum in-  
quit, *tristitiam, quæ secundum Deum est, efficere respicientiam ad sa-  
lutem*, ut ipse contextus docet: postquam enim dixisset, quod *quæ  
secundum Deum est tristitia, respicientiam ad salutem efficiat*, verum  
hoc esse comprobaturus exemplo *Corinthiorum*, subjungit; *Ecce  
enim istud ipsum, quod secundum Deum contristati fuistis, quantum in  
vobis excitavit studium*, id est, sollicitam & strenuam sedulitatem  
corrigen- di, quod peccatum fuerat, *imo apologiam, imo indignatio-  
nem*, scilicet aduersus flagitium, à mœcho commissum, *imo timorem*,  
puta Dei graviter offensi. *imo vehemens desiderium*, videlicet emen-  
dationis, *imò Zelum*, quo alius alium magno studii fervore in im-  
probando & corrigendo peccato prævertere conatus est, *imo vindi-  
cationem*, seu pœnæ exactionem ab eo, qui deliquerat.



XXV. Altera dubitatio solvi potest adhibitâ distinctione. Bifariam enim fides in Christum accipi potest: uno modo pro actu credendi uno aut pluribus, qui adhucdum multis cum dubitationibus & vehementi lucta carnis conjuncti sunt, & ad ulteriorem perfectionem tendunt, donec dispositiones, quas in potentiis animæ post se relinquunt, virtute Spiritus Sancti magis magisque auctæ & corroboratæ tandem in habitum abeant, quo aliàs emortuæ ad actus spirituales & bonis viribus penitus destitutæ faculæ animæ deinceps ad plenum & immotum assensum revelato merito Christi mediatoris & gratuiti promissionibus de remissione peccatorum præbendum, firmamque & certam in Christum fiduciam in se eliciendam supernaturaliter elevantur. Hoc significatu accepta fides non est terminus, sed pars conversionis seu pœnitentiæ. Deinde fides accipi potest pro habitu credendi, eoque iterum vel adhuc debili & imperfecto, qui in nudis dispositionibus post actus iterato excitatos in potentiis animæ relictis consistit; vel perfecto & integro, qui dictorum perfectorum actuum assensus & fiduciæ principium est. Hoc posteriori modo rectè asseritur, fidem esse terminum *adquem* conversionis: & quidem si dispositio tantum est, incompleti; si verò integer habitus, completi termini habitudinem obtinet.

XXVI. Contritionis vox metaphoricè significat *fracturam cordis* per pavores & morsus conscientiæ, estque, ut videtur, è Veteri Testamento, ubi peccatores frequenter *contriti corde* appellantur, deducta, & ad totam peccatorum retractationem moralem significandam translata.

XXVII. Pertinet autem *contritio*, seu retractatio peccatorum formaliter ad voluntatem hominis, & consistit, ut constat, in displicentia & detestatione peccatorum, quam animi dolor & morsus ac pavores conscientiæ sequuntur. Sed quoniam voluntas in suis actibus ab intellectu dependet, neque fieri potest, ut quicquam appetat, aut aversetur, ratum habeat, aut irritum reddat, amore aut odio prosequatur, nisi prævia intellectus cognitione, propterea peccatorum agnitionem & iudicium practicum de abolitione eorum suscipienda, tanquam necessariam conditionem, ex parte intellectus præsupponit.



XXIIX. Hoc iudicium ex diversis motivis provenire potest. Vel enim iudicat homo de peccatis dolendum & in abolitionem delictorum incumbendum sibi esse, non propterea, quod Deum per illa offenderit, sed precise quod malorum temporalium causæ sibi existant, absque quibus si esset, nunquam doliturus, sed libenter in peccatis perseveraturus esset; vel quod peccata in se res foedæ sint, quæ naturam rationalem summè contaminant, & Deum rerum omnium Dominum, ac Iudicem severissimum futurum, gravissimè offendunt, mortemque ac damnationem æternam, præter pœnas temporales, nobis attrahunt; vel denique etiam ob charitatem & dilectionem Dei, quod Deum, tanquam summum suum bonum, ex animo toto diligat. Et pro diversis his motivis variat etiam averfatio & odium peccatorum ex parte voluntatis. Hinc alius averfatur non omnia, sed unum tantum, aut aliqua peccata, quæ admisit, quibus scilicet vel valetudinis, vel existimationis, vel fortunarum suarum jacturam fecit: alius detestatur omnia peccata cum propter foeditatem illorum, tum propter injuriam Deo illatam, mortemque ac damnationem æternam: alius non tam incurrendæ damnationis metu, quam charitate & dilectione Dei permotus peccata odit & abominatur.

XXIX. Verum enim verò ut seriosa sit contritio, nequaquam indifferens est, quomodo de peccatis doleas, sed requiritur, ut in universum omnia, & cum primis ea, quorum tibi conscius es, detesteris, nec simpliciter propter mala temporalia, sed quia naturæ tuæ rationali disconveniunt, atque eam commaculant, teque Deo ob injuriam ipsi illatam exosum, & morte æterna dignum reddunt, ut ratio formalis, qua voluntas ad detestationem peccatorum, & dolorem de illis moveri debet, in deformitate eorum, offensa Dei, & pœnis rectè perpensis consistat: Quoniam enim qui per peccata à Deo avertitur, is avertitur à Deo per peccata, quatenus talia, id est, quatenus res deformes, Deoque exosæ, & propterea cum injuria & offensa ipsius conjunctæ, pœnisque æternis dignæ sunt; ideo par est, ut qui seriò & ex animo iterum ad Deum converti vult, similiter à peccatis avertatur, quatenus peccata, id est, res foedæ, Deo exosæ, & æterna damnatione dignæ sunt. Interim non negamus, posse hominem, in quo fides salvifica jam dum accen-



accensa est, deinceps etiam ex motivo charitatis, qua Christum mediatorem, & Deum per ipsum sibi reconciliatum, super omnia; proximum; verò ut semetipsum propter Deum diligit, peccata abominari & averfari.

XXX. Scholastici *contritionem* omnem ex *charitate* seu dilectione Dei super omnia proficisci debere contendunt; eam autem displicentiam, & dolorem, quem quis de peccatis vel ex turpitudine eorum, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipit, communiter *attritionem* vocant, quamvis aliàs discrimen, quod inter *contritionem* & *attritionem* intercedit, diversimodè ab illis explicetur, qua de re videri potest. *B. Horneji Compend. Theolog. Lib. II. cap. IV.* quod agit de pœnitentia lapsorum §. *CXXXVI. seqq.* Nominatim *Cajetanus Tom. I. Opusc. Tract. IV. q. 1.* duplicem charitatem seu dilectionem Dei super omnia constituit, unam viribus naturæ acquisitam, alteram per Spiritum Dei in corda fidelium infusam, & hinc etiam duplicem contritionem facit, unam, quæ ex acquisita dilectione Dei proficiscitur, quam informem appellat, alteram, quæ ex infusa dilectione Dei provenit, quam ideò formatam nominat. Ratio vero, cur ejusmodi dilectio Dei super omnia requiratur ad contritionem, hæc assertur à *Cajetano*, quia sicut verè Deum non diligit, qui ejus amorem rebus omnibus alijs non præfert, ita nec rectè aut verè ei peccatum displicet, qui de Dei offensa minus, quam de alio aliquo malo damnove dolet, aut cavere deinceps peccata ita sibi proponit, ut propositum illud peccata evitandi, quam mala alia cavendi minus existat.

XXXI. Sed perperam: Primùm enim dilectio Dei super omnia, viribus naturæ acquisita, commentum Pelagianum est. Nam homo pro statu naturæ suæ corruptæ non tantum vires nullas habet ad Deum super omnia diligendum, sed etiam per connatam pravam concupiscentiam tam averfus est à Deo, ut licet ex principiis, lumini naturæ perviis, eum cognoscat tanquam summè bonum, & super omnia diligendum, nihilominus in carnis & illorum, *que caro sapit, queque inimicitia sunt adversus Deum, Rom. VIII, 7.* dilectionem totus feratur. Deinde Charitas seu dilectio Dei super omnia, quæ Spiritus S. donum est, à fide salvifica vetut radice & principio suo dependet, eaque posterior est; oritur enim



enim ex agnitione & apprehensione gratiæ, misericordiæ & charitatis Dei, quam commendavit erga nos, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, cap. V, 8, quam simul ac quis ritè expendit, & fiduciâ firmâ unâ cum Christi merito amplectitur, statim ardere incipit amore erga Christum, & Deum Patrem, per illum sibi reconciliatum. Quod innuere videtur Christus ipse, cum ex officiis & indiciis charitatis, à muliere peccatrice sibi præstitis, ad factam ipsi remissionem peccatorum per fidem argumentatur, *Luc. VII, 47*. Sed contritionem, eamque veram & sufficientem, operatur Spiritus Sanctus per Verbum legis in corde peccatoris, priusquam fidem salvificam per evangelium in ipso accendat, quando scilicet peccata, illorumque deformitatem, offensam & iram Dei cum pœnis debitis ipsi ob oculos ponit, terrores & pavores conscientiæ incutit, & displicentiæ, detestationis ac doloris actus & motus eos excitat, quibus peccator non fictè & simulatè, sed seriò & ex toto corde omnia peccata sua detestatur, & gravissimè de illis dolet; hoc enim ubi fit, jam satis removetur id, quod prohibet ex parte peccatoris, quo minus fides in Christum accendi, & per eam peccata expiari ac aboleri possint, licet actus & motus illi non præcisè ex dilectione Dei super omnia profecti sint.

XXXII. Cum vera contritione per se & suapte naturâ pugnat propositum malum, & studium peccandi: contritio enim, ut constat ex dictis, importat displicentiam; propositum malum autem & studium peccandi contra importat complacentiam in peccatis, quæ duo simul stare non possunt. Non itaque est vera contritio, cum eo pacto alicui peccata commissa displicent, ut tamen illis non absolutè & firmiter renunciaret, vel non æquè omnibus, sed ita tantum desistere ab illis cogitet, si modo per mundi illecebras & cupiditates suas possit, nec vitæ statum, in quo necessariò sic peccat, mutare, sed in eo permanere cupiat.

XXXIII. Cave tamen hinc inferas, propositum bonum, & studium vitam emendandi, seu sanctè & piè vivendi, in contritione includi, aut effectum ejus esse. Etenim licet per contritionis actus & motus actualis inclinatio voluntatis peccato corruptæ ad malum in tantum inhibeatur, ut dum eos in se sentit homo, peccata committere sibi non proponat, vires tamen sanctè & piè vivendi,

C

vendi.





vendi, vel vitam sanctam & Deo placentem sibi proponendi, quibus voluntas pro statu suo corrupto destituitur, per motus illos ei nondum conferuntur. Quod usque adeo verum est, ut si soli sint absque fide, verbo evangelii accensa & superaddita, potius alterutrum contingat, ut vel iræ divinæ & poenarum æternarum magnitudine exterritus homo cum Juda proditore penitus animum despondeat, & in desperationis barathrum abripiatur; vel excusso redargutionum ac minarum legis jugo totus in Epicuræam securitatem prolabatur. Sanè quamdiu fidem nondum habet homo, quantumvis contritus corde & de peccatis anxius sit, irrenatus manet; renascimur enim, dum fide in Christum donamur, juxta illud *I. Job. V. 1. Omnis, qui credit, Jesum esse Christum, ex Deo natus est; qui vero adhuc dum irrenatus est, teste Servatore, caro, hoc est, totus, quantus quantus est, carnalis est, cujus *Φέγνυα* mors est, & inimicitia adversus Deum, & legi Dei non subjicitur, siquidem ne potest quidem, Rom. VIII, 7. Huc pertinet, quod Servator ad discipulos suos dicit *Job. XV. 4. seqq. sicut palmes non potest fructum ferre à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Qui manet in me, nempe per fidem & charitatem, & ego in eo, per gratiam, hic fert fructum multum: quia sine me non potestis facere quicquam, id est, si à me, per fidem in vobis habitante, manente & vivente, Gal. II, 20, vitam & vim agendi non acceperitis, & velut succum à vite traxeritis, nihil potestis facere, nec velle, nec perficere bonum, Phil. II, 13. Nam preciso palmite potest de viva radice alius pullulare; qui autem precisus est, sine radice non potest vivere, ut scitè inquit Augustinus ad h. l. Ex his liquidò patet, cum novam obedientiam & sanctitatem vitæ, tum propositum novæ obedientiæ & sanctitatis fidei potius, quam contritionis fructum & effectum esse.**

XXXIV. Ut autem hoc & alia, quæ hætenus diximus, rectius intelligantur, distinctè nunc etiam & uberius exponemus, in quonam fides, cujus toties mentionem fecimus, consistat.

XXXV. Vocabulum *fidei* generaliter denotat quemvis assensum, testificantis authoritati innixum, & prout vel hominis vel Dei testificatione tanquam ratione assentiendi nititur, distingui solet in *humanam & divinam fidem.*

XXXVI. Divina fides, de qua nobis hic sermo est, bifariam con-



considerari potest. Uno modo, in quantum principium & causa salutis nostræ est; altero in suâ latitudine, præcisâ habitudine principii & causæ ad salutem. Si posteriori modo spectetur, pro objecto materiali habet omnia, quæ Deus in Scripturis revelavit. Unde etiam appellationem fidei generalis fortitur. Si priori; pro objecto materiali habet Christum mediatorem, ejusque meritum, gratiam Dei & promissiones gratuitas de remissione peccatorum, eò pertinentes, à quo objecto speciali, & applicatione ejus, in specie ad credentem factâ, *fides specialis* usu recepto, & *fides in Christum* dicitur. Formale objectum utrobique non in auctoritate humana, vel miraculis, aliisque signis credibilitatis, sed in sola divina revelatione consistit, quæ concursu Dei supernaturali elevata intellectum illuminat, & voluntatem ad imperandum intellectui assensum determinat.

XXXVII. Quæ in præcedentibus de *fide* dicta sunt, intelligi debent de *fide speciali*.

XXXVIII. Sic autem hæc *fides specialis* in Scripturis nobis describitur, ut præter *assensum*, ex parte voluntatis importet *fiduciam*, in Christo mediatore, ut causa impetrandæ apud Deum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, defixam, quæ velut anima, vita, & complementum ejus est.

XXXIX. Primum enim describitur, quod sit *fides*, quâ creditur *in Christum*, aut *in nomen Filii Dei*, quæ phrasæ vi præpositionis IN, cum casu quarto constructæ, insinuant actum quendam voluntatis, quo credens quasi extra se fertur in Christum, ipsique adheret, præsertim cum Christus tale objectum sit, quod non nudæ speculationis causâ peccatoribus in Scripturis proponitur, sed ut in illud, velut suum quoddam bonum ferantur. Actus autem ille voluntatis non potest alius esse, quam fiduciæ actus, cum credere in Christum sit ita ferri in eum, ut in ipso, ejusque passione & morte, quam effuso in ara crucis sanguine pro nobis sustinuit, ut provocatam peccatis nostris iram Dei placaret, velut præsentem bono ad consequendum aliud, gratiam nempe Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam, per modum causæ relato, acquiescas, quod perspicuè significat Paulus, quando *Rom. III. 25.* scribit, Deum proposuisse Jesum Christum *ἱλασθημεν* *placamentum*, seu



propitiatorium per fidem in ipsius sanguine: ubi objectum fidei constituit Christum, non quocunque modo spectatum, sed ut placatorem iræ divinæ in sanguine suo, id est, ratione satisfactionis suæ, quam effuso sanguine suo pro peccatis nostris præstitit.

XL. Deinde fides specialis describitur à Paulo Gal. V, 6. quòd per charitatem efficax sit. Quod non potest aliter intelligi, quàm quod charitas sit affectio hominis justificati, orta in ipso à fide tanquam proxima & propria causa, adeoque fides in justificato agat per charitatem, seque exerat, & plurima bona opera edat, sicut causa agit in subiecto per affectionem, quæ ab ipsa manat. Charitas enim, ex fide orta, porro fons & principium est omnium bonorum operum, adeo ut ipsi Scriptura tribuat, quæcunque Christianis virtutibus quibusque conveniunt, I. Corinth. XIII, 4. seq. Sed charitas non oritur ex nudo credendorum assensu, quo quis in genere credit, veras esse promissiones divinas, & quicquid de Christo mediatore divinitus revelatum est: Nisi enim persuasus & certus sis, quod Christus mediator cum suo merito ad te etiam in particulari pertineat, & promissiones illæ gratuita in specie tibi gratiam & remissionem peccatorum polliceantur, firmaque & immota fiducia illis adhæreas, non magis Christum mediatorem, & Deum Patrem per illum nobis propitium redditum diliges, quàm Satanas, qui similiter per naturalem sagacitatem, & miraculorum verorum, quæ à falsis quàm exactissimè discernere potest, evidentia & experientia convictus, infallibiliter verum esse credit, quicquid in Scripturis revelatum est, & contremiscit, Jacob. II, 19. Relinquitur ergo, quod fides in Christum, quæ per charitatem efficax est, præter assensum, etiam fiduciam includat.

XLI. Tertio fides hæc specialis ab Apostolo vocatur *Scientium*, quo extinguntur omnia ignita jacula, perturbationes & tentationes Improbi illius, Diaboli, Eph. VI, 16. Sed nudo credendorum assensu, quo veritas promissionum in se creditur, non extinguntur ignita jacula tentationum, quibus Diabolus nos de peccatis anxios, & sensu iræ divinæ percitos in desperationem præcipitare conatur, nisi quisque de se in particulari subsumat, & credat, Deum vi illarum promissionum sibi etiam propitium fore, firmaque



que fiducia in Deum ejusque promissiones & meritum Christi se  
erigat.

XLII. Possent ex quam plurimis aliis Scripturæ locis simi-  
lia argumenta nullo negotio crui, quibus rei aliàs non obscuræ  
major lux accederet, nisi propter chartæ angustiam pergendum  
nobis esset ad alia. Conferantur interim cum allatis, quæ *Do-*  
*minus Præses*, exemplo præiturus, eidem ulterius confirmandæ  
accommodavit *Disp. III. de Convers. cap. III.* qui simul etiam, quæ  
in contrarium urgeri solent & possunt, ordine discussit s. *CLXXIV.*  
*seqq.* & §. *CXLIX.*

XLIII. Per hanc ita declaratam fidem vivit in nobis Chri-  
stus, *Gal. II, 20*, à quo velut palmites à vite succum trahimus, ut  
novæ obedientiæ & pietatis fructum multum feramus, *Joh. XV, 5.*  
per eandem habitat in cordibus nostris Spiritus Sanctus, *Gal. IV,*  
*6. & cap. III, 26.* qui ducit & agit nos, *Rom. VIII, 14.* Hinc fides hæc  
nec est, nec esse potest absque proposito sanctè & piè vivendi. At-  
que hæc de partibus conversionis, contritione & fide.

XLIV. Subjectum convertendum est *homo peccator*, isque a-  
dultus. Ut enim verbi Legis & Evangelii, quibus peragitur con-  
versio, ita & conversionis adulti soli capaces sunt.

XLV. Pro diverso ejus statu & conditione vulgo conver-  
sio distinguitur, & aliter atque aliter denominatur. Est enim ho-  
mo convertendus in triplici differentia. Vel enim extra Eccle-  
siam constitutus & infidelis est, vel in Ecclesia quidem constitutus,  
renatus & fidelis factus, sed qui postea in peccata contra conscien-  
tiam prolapsus, fidem & Spiritum S. excussit, & sic renascentiæ &  
fidelitatis suæ statu iterum excidit; vel denique est renatus, qui in  
renascentiæ & gratiæ statu adhuc persistit. Si hoc; *conversionem*  
*vocant Stantium*, quod pro subjecto habeat hominem in  
Dei gratiâ adhuc persistentem. Si istud; *conversionem dicunt lapsor-*  
*um*, item *secundam*, quod pro subjecto habeat hominem in pec-  
cata contra conscientiam prolapsus, & in quo alia prior con-  
versio antecessit. Sin illud; *conversionem primam* appellant, quip-  
pe quam alia nulla in subjecto illo antegressa est.

XLVI. Prima Infidelium & extra Ecclesiam constituto-  
rum;



rum; & secunda lapsorum conversio, secundum rem est quaedam  
Spiritualis illorum regeneratio. Utrique enim, *infideles* scilicet,  
qui nunquam fide præditi fuerunt, & *lapsi*, qui per peccata regnan-  
tia fidei jacturam fecerunt, Spiritualiter regenerantur, dum con-  
vertuntur. Hinc *Paulus* scribit, se *Corinthios*, quos prædicatione  
Evangelii ad fidem Christi primus adduxit, *gentisse*, *I. Corinth. IV,*  
*15.* & *Galatas*, quos jam antè genuerat, ab Evangelio & Christo de-  
ficientes, se iterum parturire, *Gal. IV, 19.*

XLVII. Quamvis verò, quantum ad hoc, convenient, non  
parum tamen inter se differunt *ex parte subjecti*. Nam illius sub-  
jectum constituunt homines, qui doctrinæ Christianæ ne quidem  
generalem & historicam fidem habent; hujus verò subjectum  
constituunt homines, qui eam assensu generali & fide historica  
amplectuntur, vel minimum simplici ejus notitia pollent. Illi  
substernuntur nondum initiati, qui postquam *apertis* per prædica-  
tionem verbi *oculis à tenebris ad lucem conversi sunt*, initiari de-  
bent Sacramento baptismi, juxta illud *Petri Act. II, 38. respiscite &*  
*baptizetur unusquisque vestrum sub nomine Jesu Christi in remissionem*  
*peccatorum*; huic initiati, qui non amplius baptizantur. Illic sunt  
peccatores, qui quod ignorarent viam justitiæ, viis suis ingressi sunt;  
hic sunt peccatores, quibus nullus ignorantia pretextus patrocinatur,  
quod Domino agnito, præceptisque ejus admissis, rursus se in delicta  
restituerunt, ut loquitur *Tertullianus de pœnitent. Cap. V.*

XLIIII. Atque hinc est, quod etiam in ritibus præscæ Eccle-  
siæ non unam eandemque procedendi rationem cum *infidelibus ab*  
*infidelitate, Gentilismo, aut Judaismo* ad fidem Christianam transi-  
turis; & cum *lapsis*, qui gravioribus peccatis commissis commune  
Jus fidelium amiserunt, recipiendis & in priorem locum restituendis  
observatam animadvertimus.

XLIX. *Infideles*, qui fieri Christiani primo cupiebant, aliquan-  
diu in rudimentis Doctrinæ Christianæ informabantur, donec ad  
baptismum & plenam perceptionem Sacrorum omnium admitte-  
rentur, *Catechumeni* inde appellati, *ὡπὸ τῆς κατηχῆσθαι*, quod est  
prima artis seu scientiæ elementa doceri. Quo in stadio dum de-  
currebant, in Ecclesia Scripturæ S. recitationem, & allocutionis  
doctrinam audire licuit, & certa oratione, quam *ἐν χῆν κατηχῆ-  
σένων*



μένων Græci vocant, participare, postea autem à communione arcebantur per Diaconum clamantem; ὅσοι κατηχούμενοι προσέλθετε, ἔξω περιπατεῖτε ὅσοι ἀμύητοι, vel ut Latini efferebant; Catechumeni foras discedite! si quis Catechumenus remansit, exeat! Ite, missa!

L. Proponebatur autem ipsis præcipuè *Symbolum Apostolicum*, & deinde etiam oratio *Dominica*. Hinc *Augustinus de Tempore serm. CXXXV. Reddidistis, inquit, quod creditis: audivistis, quod oratis: nam quomodo invocare possitis, in quem non credidistis: ideo prius Symbolum didicistis, ubi est regula fidei vestrae.* Nec tantum in fide, sed etiam in doctrina morum informabantur, quod docet idem *Antistes lib. de fide & operibus cap. VI. Quid aliud, inquit, agit totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent, nisi ut audiant, quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani. Sacramenta verò quondam illis occultata fuisse, arguunt solemnes reticentiæ & ulu tritæ formulæ in mentione eorum apud Patres; Ἰσααίω οἱ μεμνημένοι, οἱ μυσταγωγούμενοι, οἷς δὲν ὁ μυστὴρ, norunt initiati, quod dicitur; norunt fideles; norunt illi, quibus nosse fas est; novit, qui mysteriis imbutus est.* Clarè *Ambrosius de initiandis; Nunc, ait, de mysterio dicere tempus admonet, atq; ipsâ sacramentorum rationem reddere, quam ante baptismum si purassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius, quam edidisse estimaremur.* Legatur hac de re *Isaaci Casauboni, solertissimi indagatoris præcorum institutorum Ecclesiæ, XVI. Exercitatio ad Annales Eccles. Baronii n. XLIII. p. 490. seqq. Examina, quæ cum Catechumenis instituebantur, ne sancta illis darentur, nisi prius probè informati, Scrutinia appellarunt, de quibus testatur Rupertus Abbas Tuitiensis, lib. IV. Offic. Divin. cap. XVII, seqq. Tom. X. Bibl. PP.*

LI. Sant, qui duos ordines fuisse *Catechumenorum* in Ecclesia Græca, nominibus distinctos, quorum alii dicerentur γονυκλίνοντες, genu flectentes, alii ἀκροάμενοι sive audientes, ex *Canone XIII. Concilii Nicæni* colligunt, quos falli censet *Salmasius in Epistola ad Justum Pacium p. 73.* Apud Latinos constat tres ordines *Catechumenorum* olim fuisse. Quidam dicebantur *Audientes*, quòd audirent tantum verbum Dei, sed baptismum nondum peterent. Hi communiter per *Quadragesimam* docebantur sum-

mam



mam Christianæ fidei & morum. Meminit horum *Tertullianus* lib. de pœnit. cap. VI. An alius, inquiens, est intinctus Christus, alius Audientibus? Qui vero post doctrinam fidei & continentiam vitæ ad gratiam Christi percipiendam festinabant, competentes appellati sunt, id est, gratiam Christi petentes, teste *Isidoro Hispal.* lib. II. de Offic. Eccles. Extat inter opera *Hincmari Remensis Jesse Ambianensis Episcopi* epistola, quam reperies etiam in *B. PP. Tom. XVI.* ubi inter alia verba sic habent: *Competens est, qui diligenter instructus de fide & attentè de credulitate imbutus, post traditam sibi doctrinam Christianitatis, & mysterium Symboli, & traditionem orationis Dominice, petit & rogat, ut posset consequi mysterium sacri baptismatis.* Petebant autem gratiam Christi seu baptismum Dominicâ Palmarum. Vid. Auctor sermonis CXVI. in *Domin. Palm. ad Competentes habitus Tom. X. B. PP.* In tertio ordine erant *Electi*, qui ita vocabantur non nisi eo die, quo baptizabantur. Ritus, quo fiebant electi, describit *Ordo Romanus.*

LII. *Lapsi* fuerunt in duplici differentia: quidam peccatis suis publicum Ecclesiæ scandalum dederunt; nonnullorum verò delicta non æquè cum publico Ecclesiæ scandalo fuerunt conjuncta.

LIII. Prioribus accensebantur non tantum notorii Scortatores, adulteri, fures, homicidæ, & similes peccatores, qui sceleratâ vitâ fratres offenderunt; sed imprimis etiam, qui fidem abnegarunt, quam abnegâsse Veteres arguebant, cum eos, qui idolis sacrificarunt, & thus adoleverunt, & inde *sacrificati & thurificati* dicti sunt; tum eos, qui ne Diis adolere cogerentur, libellum à Præsidibus redemerant, & *Libellatici* appellati sunt; imo etiam illos, qui sacros Codices, vel Thesauros Ecclesiarum Præsidibus Judicibusque urgentibus tradiderunt, & *Traditores* dicti sunt.

LIV. Hos & similes præsci Antistites Religionis Christianæ à Communione Ecclesiæ arcebant, nec nisi publicâ & solemnî pœnitentiâ actâ recipiebant.

LV. Hæc pœnitentia consistebat in *Exomologesi*, docente *Tertulliano de pœnitent. cap. IX.* id est, variis externis signis, quibus *Lapsi* justo tempore resipiscentiam suam Ecclesiæ publicè probare debebant, qualia fuerunt lacrumæ, gemitus, preces supplices, pro-

stra-



stratio humi, sui ipsius accusatio coram Ecclesia, squalor habitus, cilicium, cinis, jejunia, vigiliæ, eleemosynæ, statio peculiaris in sacris cœtibus & alii ritus, qui pro diversitate locorum, temporum & delictorum diversi fuerunt. De lacrumis, precibus, prostratione, jejuniis, vigiliis, eleemosynis, cilicio, cinere, & similibus passim testantur Patres. *Tertullianus. lib. de Pudicitia cap. XIII.* mœchum pœnitentem depicturus, sistit eum ut *conciliciatum, & concineratum, cum dedecore & horrore compositum, prostratum in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem.* *Cyprianus sermone de lapsis* hæc ad pœnitentiam lapsis præscribit, quod scilicet oporteat orare impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere, stratos solo adherere cineri, in cilicio & sordibus volutari. Similiter *Pacianus Paren. ad Pœnit.* Obtestor, inquit, & deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quamprimum remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere persundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvare. *Hesychius lib. II. in Levit. cap. VI.* scribit; in jejunio, vigiliis, cilicino vestimento, cum lacrumis oratione, eleemosynis consistere pœnitentiam, quæ qui tangit, rectè sanctificatur. De statione peculiari in sacris cœtibus testatur vetus Epistola Canonica, *Gregorio Neocesariensi* adscribi solita, ex qua discimus, lapsos pœnitentes πέντε τόπους, ut *Balsamon* notat, vel, ut aliàs loquuntur Scriptores Ecclesiastici, τέσσαρας τόπους ἡπικτιμίων ἀνύεσθαι, quatuor loca pœnæ obire debuisse, priusquam pervenirent ad ipsam communionem. Primus locus erat, quem vocarunt πρὸ κλαυθῶν, ἔξω τῆς πόλης τῆς εὐκτηρίῃς, ubi oportebat peccatorem separatim non solum à fidelibus, sed etiam à Catechumenis stantem, ut plurimum tres annos, τῶν εἰσιόντων δεῖσθαι πιστῶν ὑπὲρ αὐτῆς εὐχεσθαι, vel ut *Tertullianus* loquitur, omnibus fidelibus legationes deprecationis injungere. Proximus locus seu gradus dicebatur ἀκράσις, ἐνδοθι τῆς πόλης ἐν τῷ ναῶντι, ἑπτὰ ἐσάναι χερὶ τὸν ἡμαρτηκότα ἕως πῶν κατηχημένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι, tres alios annos ut plurimum. *Cl. Salmasius l. c. p. 78.* disputat, an

D

quia





quia cum Catechumenis exhibat, orationis, quæ pro iis fiebat, fuerit particeps? & negativam adstruit ex *Concilii Ilerdensis can. IV.* & quod *Gregorius* expressè subjungat, eum, postquam audiverit Scripturæ S. lectionem, ab Ecclesia ejici, καὶ μὴ ἀξιῶσαι προσευχῆς. Tertius locus seu gradus dicebatur ὑπόπτωσις, quæ erat quædam interior admissio, ubi tres alios annos pœnitens ἐσώθη τῆς πύλης τῆς ναῦ ἱστάμενος μετὰ τῶν κατηχημένων egrediebatur. Non tamen eodem instanti cum Catechumenis exhibant pœnitentes tertii gradus, sed illis digressis, oratio pro his habebatur, & tunc egrediebantur & ipsi, ut ex Concilio Laodicensi docet *Salmasius l. c.* Post ὑπόπτωσιν, quæ & μετανοία appellata, ut constat ex *Epistola Basilii Canonica II. Can. VI.* sequebatur quartus locus seu gradus, qui dicebatur σύσεσις, ἵνα συνίστηται τοῖς πιστοῖς, καὶ μὴ ἐξέλθῃ μετὰ τῶν κατηχημένων. Nam ibi pœnitentes in Ecclesia consistendi potestatem habebant cum fidelibus, & unâ cum his orationibus communicandi. Unde κοινωνεῖν εὐχῶν habere dicebantur. Cæterum sola participatione Eucharistiæ cæteris fratribus erant adhuc inferiores, quæ denique sequebatur, μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων dicta. Confer præter laudatum *Salmasium l. c.* supra allegatam *XVI. Exercitationem Isaaci Casauboni. Sozomenus lib. VII. cap. XVI.* de ritibus pœnitentiæ publicæ sic scribit: *Solicite in Ecclesiis Occidentibus, & maxime in Romana servatur (pœnitentia) ibi enim manifestus est pœnitentium locus. Stant autem in eo mœsti ac veluti lugentes, finitoque demum Dei Sacrificio, participes non facti, quorum participes fieri mystas fas erat, cum planctu ac lamentatione semetipsos in terram pronos abjiciunt. Tum ex adverso lamentabundus Episcopus accurrens consimiliter humi cum ejulatu collabatur, ac tota denique Ecclesie multitudo lacrimis suffunditur. Posthæc Episcopus primus exurgit, & quantum satis est, pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatur, eos dimittit. Privatim deinde Sponte sua quisque vel jejuniis, vel lotionum ciborumque abstinentia, vel aliis, quibus jussus est, semetipsum affligens, tempus expectat, in quantum Episcopus prestituit. Elapso demum profinito die, pœnâ jam quasi debito quopiam exolutâ, à peccatis absolvitur, & populo in Ecclesia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes ab ipso inde exordio etiam ad nostram usque memoriam custodiunt. Hucusque Sozomenus. Pertinent huc etiam*



etiam *Canones*, qui dicuntur *pœnitentiales*, & alii à *Gratiano* collecti *Dist. L. cap. LXIV. Dist. XXCII. cap. V. XII. q. II. cap. XVII. XIII. q. II. cap. XXXII. XXXIII. q. II. cap. VIII.*

LVI. Propriè igitur loquendo *lapsorum pœnitentia* non fuit *prostratio humi, sui ipsius accusatio coram Ecclesia, peculiaris statio in sacris coetibus, cilicium, cinis, jejunia, vigiliae, elemosyna, lacrumae, suspiria, preces, & alij ritus externi; sed agnitio, displicentia & detestatio peccatorum admissorum, cum dolore animi conjuncta, eoque tam gravi & serio, ut per memorata signa foris & ad sensum se exereret; fides item misericordiae divinae & merito Christi innixa, quae in specie per preces ad Deum, per aversionem à peccatis, & vitae emendationem se exeruit.*

LVII. Nec obstat, quod Patres passim ac ferè semper recensitos pœnitentium actus & ritus satisfactionis nomine vocent. Cum enim, juxta veteres & probatos Latinos, *Ciceronem lib. VIII. Epist. XII. Plautum Amphitr. Act. III. Sc. II. v. 8. Suetonium in Julio cap. LXXIII.* & alios, satisfacere dicatur etiam is, qui facit, quod laesae personae placet, eique satis est ad reconciliationem, etiamsi de reliquo nihil omninò agat, vel patiatur, quod injuriam, quam sibi condonari postulat, compenset; dubium non est, quin Patres etiam hoc sensu vocem satisfactionis usurpârint, ut significarent, pœnitentes publicos lacrumis suis, precibus, prostrationibus, jejniis, cilicio, cinere, & reliquis solemnibus, quia fructus sunt & signa seriae pœnitentiae, facere, quod Deo & Ecclesiae placet, & satis est ad hoc, ut Ecclesia, cognito eorum affectu & sinceritate, in gremium suum eos recipiat. Ita fanè vocem satisfactionis *Pacianum* adhibuisse necesse est in *Paran. ad pœnit.* eum inquit: *Polliceor, si ad Patrem vestrum vera satisfactione redeatis, nihil ulterius errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid & flebile, peccavimus in conspectu tuo Pater, jam non sumus digni nomine filiorum, continuo de vobis & pecnis illud recedet immundum, & siliquarum esca deformis.* Nam his verbis *Pacianus* disertè satisfactionem definit per praeteritorum peccatorum abdicacionem, & pœnarum deprecationem, humilemque apud Deum indignitatis nostrae confessionem, quae qui facit, neutiquam compensat injuriam, Deo per





peccata illatam, sed facit tantum quod Deo placet, & satis est ad reconciliationem & avertendas pœnas. Hanc rem operosè deduxit, & pluribus argumentis confirmavit *Johannes Dallenus libro VII. de pœnis & satisfactionibus humanis cap. V.* qui etiam in sequentibus capitibus fusè docet, quo sensu Patres iisdem pœnitentiæ actibus externis peccata elui, purgari, deleri, aboleri, redimi, compensari dixerint, quem videat, qui vult.

LIIX. Egregiè sententiam nostram confirmat *Juo Carnotensis in Epistola CCXXVIII. ad Gohaer. Presb.* cujus verba non pigramur adscribere. *Querit* (inquit) *fraternitas tua, quomodo inter se conveniant Prophetica sententia, quæ dicit, in quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit; & Synodalis, quæ crimina sua confitentes aliquandiu à corporis & sanguinis communione suspendit. Repugnare tibi videntur, dissentireque sententiæ Capitis, & Corporis, ut quos Caput, id est, Christus, celeriter à peccato liberat, eos Corpus Christi, id est, Ecclesia, sub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ questio facile solvitur, si interni judicis animadversio, & humanæ fragilitatis consideratio diligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem separet à Capite & à Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celerius, quanto solus magis videt interius. Judex verò qui tantum videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestam pœnitentiæ fructum, qui sit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna Conversio. Ecclesia verò, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet suscitatum, nisi de monumento elatum, id est, publica satisfactione purgatum. Hinc est, quod Ecclesia sua crimina confitentes à Sacramentorum communione suspendit, & in cinere, & in cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si iam sunt intus vivificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Hacenus *Juonis* verba.*

LIX.



LIX. Contra hanc Ecclesiæ receptam consuetudinem Cypriani tempore Carthagine quidam, nomine *Felicissimus*, reipsâ autem tranquillitatis & pacis Ecclesiasticæ turbator infelicissimus, & qui cum eo faciebant, alii quinque Presbyteri receperunt *Lapsos*, qui sub persecutione Decianâ Christianam fidem abnegaverant, in communionem & gremium Ecclesiæ sine præviâ pœnitentiâ publicâ, idque recte à se fieri contenderunt. De quorum factione ita Cyprianus epistolâ XL. *Hi fomenta olim quibusdam Confessoribus, & hortamenta tribuebant, ne concordarent cum Episcopo suo, nec Ecclesiasticam Disciplinam cum fide & quiete juxta præcepta Dominica continerent, ne confessionis suæ gloriam incorrupta & immaculata conversatione servarent. Ac ne parû fuisset corrupisse quorundam confessorum mentes, & contra Sacerdotium Dei portionem ruptæ fraternitatis armare voluisse, nunc se ad lapsorû perniciem venenata sua deceptione verterunt, ut egros & saucios, & ad capienda fortiora consilia per calamitatem ruinæ suæ minus idoneos & minus solidos à medela vulneris sui avocent, & intermissis precibus & orationibus, quibus Dominus longa & continua satisfactione placandus est, ad exitiosam temeritatem mendacio captiose pacis invitent. Iisdem accessit, vel potiùs dux & auctor fuit Novatus, Ecclesiæ Carthaginensis Presbyter, ut rursum Cyprianus Epist. XLIX. refert: Idem, inquiens, est Novatus, qui apud nos primùm discordiæ & schismatis incendium seminavit, qui quosdam istic ex fratribus ab Episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad avertendas fratrum mentes alia quedam persequutio nostris fuit. Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum diaconum nec permittente me, nec sciente, suâ factione & ambitione constituit.*

LX. Sed Novatus, postquam in Africa factione suâ turbaverat omnia, Romam profectus, ibique *similia & paria molitus est, à Clero portionem plebis avellens, fraternitatis benè sibi coherentis & se invicem diligentis scindens.* Verba sunt laudati Cypriani d.l. Adjunxit autem se Novatiano Presbytero Ecclesiæ Romanæ, homini aliàs docto, qui *Cornelium* in Episcopatu sibi prælatum esse dolebat, & quemadmodùm in Africa Cyprianum, lapsis non nisi post actam pœnitentiam reditum ad Ecclesiam permittentem, cum Felicissimo; ita Romæ *Cornelium*, lapsos post actam pœnitentiam recipientem, cum *Novato* impugnavit, & lapsis reditum ad Ecclesiam





interventu pœnitentiæ concedendum esse negavit. Quod suum commentum sparserunt ambo & propagarunt latius, partim per literas, quas ad aliarum Ecclesiarum Episcopos misit *Novatianus*, à tribus peregrè adscitis & seditiosis Episcopis Pseudo-Episcopus Romanus creatus, partim per complices, cum primis per *Maximum* Presbyterum & *Augendum* Diaconum in Africam ablegatos. Vid. *Epist. Cornelii ad Fabium Antioch. apud Eusebium lib. VI. cap. XXXV. & Theodor. lib. III. Heret. Fab. cap. V.*

LXI. Potest autem *Novati* commentum accipi sensu duplici: uno, in ordine ad *forum internum & Divinum*, puta quòd lapsis non pateat amplius via ad veram & coram Deo validam pœnitentiam, & quomodocunque pœnitentiam agere videantur, tamen in gratiam apud Deum non recipiantur. Altero in ordine ad *forum Ecclesiasticum & externum*, puta quòd in Ecclesiæ potestate non sit situm, lapsis veniam & communionem reddere, cum interim adhortandi ad pœnitentiam, & Deo committendi sint, qui auctoritatem peccata remittendi habeat. Sunt, qui existimant, *Novatum* priori modo veniam lapsis negasse. Malunt tamen alii benignius, & quidem posteriori modo, sententiam ejus interpretari, sicut ex *Ambrosii lib. I. de Pœnitent. explicat B. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. c. de Fide justif. & M. Antonius de Dom. lib. V. cap. VII. n. LI.* Neque aliud *Tertullianus* sensit, qui similiter cum *Montano*, *Prælusore* & *Promacho Novati*, docuit, pœnitentiam lapsis, & præsertim mœchis ac fornicatoribus, concedendam non esse, ceu luculenter patet ex *libro de Pudicitia cap. III.*

LXII. Controversia hæc in Conciliis, *Carthagine & Romæ* habitis, brevi pòst decisa, & hæresi *Novatianâ* ex Ecclesiæ pœcæriis proscriptâ, *salubri moderatione* constitutum est, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis negaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia abdicaretur, secuti seculum Gentiliter viverent: nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, examinarentur cause, voluntates, & necessitates singulorum, ut *Cyprianus Epist. LII. ad Antonianum* refert.

LXIII. Cæterùm sitne pœnitentia lapsorum iterabilis? disquiri



quiri potest. Constat autem de pœnitentia publica & solemnâ, quod qui in gravia & cum scandalo Ecclesiæ conjuncta peccata prolapsi essent, ad eam semel fuerint admissi. Si progressa temporis in similia aut graviora prolapsi essent peccata, per pœnitentiam Ecclesiæ reconciliati non sunt, non quidem quod pœnitentiæ feræ capaces amplius non essent, vel spes veniæ & remissionis peccatorum iis nulla superesset, sed potissimum ne pœnitentiâ publicâ sæpius iteratâ, disciplina Ecclesiastica vilesceret. Hoc inter alia patet ex Concilio Elibertino Cap. VII. Toletano III. Can. XI. Ambrosio lib. II. de pœnit. cap. X. Eleganter ea de re disserit Hipponensis Presul Augustinus in epistola ad Macedonium, cuius verba, quamvis pluscula, digna sunt, quæ hîc legantur. Ea verò habent ita: *In tantum hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem vel similia vel graviora committant, & tamen Deus facit etiam serper tales oriri solem suum, nec minus tribuit, quàm ante tribuebat largissima munera vitæ & salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliuiscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat: aut date mihi eundem iterum pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quicquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plebrosque etiam laudabili: aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite, utrum mihi aliquid profit ad vitam futuram: si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frena vero, si ad castigandam corpus meum multa mihi etiam licita & concessa subtraxero, si me pœnitendo vehementius, quam prius, excrucia vero, si miserabilius ingemuero, si flevero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si charitate (quæ operit multitudinem peccatorum) flagravero ardentius: quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat; nihil tibi ista proderunt in posterum, vade saltem, vitæ hujus suavitate perfruere. Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam.* Quamvis ergo

causâ



cautè salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset egrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo: quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? quis audeat dicere, erga istos non agi, quod Apostolus ait: ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? aut istis exceptis esse definitum, quod scriptum est: beati omnes, qui confidunt in eum? aut ad istos non pertinere, quod dicitur; viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Dominum.

LXIV. Internam verò pœnitentiam reiterari posse, etiã à peccatoribus, qui post peractam externam & solemnem pœnitentiam in gravia peccata relapsi sunt, ne Novatiani quidem & Montanistæ inficias ibant. Non negabant absolutè, Deum remittere peccata lapsis, pœnitentiam internam peccatori non auferebant, & negotium cum Deo, à quo postulare deberent remissionem, relinquebant, sed externam pœnitentiam posse utiliter Ecclesiasticam obtinere remissionem pernegabant, inquit Marcus Antonius de Dom. lib. V. de Rep. Ecc. C. VII. n. LV.

LXV. Quia verò in Ecclesiis passim inveniuntur, qui postquam in gravia, licet non ea, quæ simpliciter à communione Ecclesiæ excludunt, peccata scientes & volentes prolapsi sunt, peccata sua quidem coram Ecclesiæ ministro confitentur, illorum veniam & remissionem petunt, vitæ emendationem pollicentur, atque eadè suam interiorem pœnitentiam exterius testantur; sed absolute impetratâ facilè ad pristinam redeunt improbitatem vitæ, & deinde repetitâ pœnitentiã internã vitæ emendationem denuò pollicentur, nec tamen in bono proposito diu persistunt, sed in eadem aut similia peccata recidunt; hæcque ita singulis ferè quadrantibus anni actitant; de horum pœnitentia, an toties, ut ipsi opinantur, repeti possit? non præter rem quis quæserit. Videtur enim ea peccatorum regnantium & pœnitentiæ interioris vicissitudo, quã nunc agnitis peccatis doleant, & pœnitentiam agant; & brevi post in eadem relabantur peccata, & in iis aliquo temporis tractu persistant, statuto tempore verò rursus pœnitentiam



tentiam agant, & eam actam rursus in peccata regnantia incidant, cum vero Christianismo stare non posse.

LXVI. Primum enim *Proverbiorum cap. IV. v. 18.* describitur justorum semita, quod sit כְּאוֹר נְנִיף quasi lux splendoris, h. e. lux valde splendida אֲנֹר עַד-נְכוֹן הַיּוֹם que progreditur & illuminat usque ad perfectum diem i. e. quæ subinde incrementa sumit, usque dum dies sit in sua perfectione. Perfectum verò illum diem non malè exponit *Greg. Hom. V. in Ezech.* his verbis: in justorum animis bonum desiderium atque intellectus lucis intima jam pars dicitur: sed cum usque ad finem vite in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad caelestia regna perducti, in ea luce, quam desiderant, jam minus aliquid non habebunt. Nunc si id generis hominum poenitentia interna toties iterabilis esset, sequeretur, semitam justorum non esse similem luci splendide, quæ subinde incrementa sumit, usque dum perfectus (sempiternæ nimirum felicitatis) dies ingruat; sed esse planè inconstantem instar lucis obscuræ, quæ mox augetur, mox iterum minuitur, imò planè deficit.

LXVII. Deinde *Paulus* hortatur admodum sollicitè, ut quem admodum *Christus*, cui per baptismum commortui & consepulti sumus, resurrexit ad novam vitam, & posthac mors ei non dominatur; sic nos etiam semel peccato mortui in novitate vite ambulemus, neque amplius peccatum nobis dominari patiamur, *Rom. VI. v. 4. seqq.*

LXVIII. Tertio *Petrus* disertè scribit, quod qui passus est in carne, sicut *Christus* pro nobis passus & mortuus est, hoc est, qui carnem suam crucifixit, & quoad eam mortuus est, is destiterit à peccato, ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei τὸν Θεοῦ τοῦ αἰώνου ἐν σαρκεὶ χεῖρον, quod in carne reliquum est temporis vivat, *1. Petr. IV, 2.* quod dici non posset, si poenitentia toties esset iterabilis.

LXIX. Quarto ipse *Salvator* apud *Mattheum cap. XII, 44. seq.* & *Lucam cap. XI, 24. seq.* de homine, è quo ante Dæmon ejectus erat, ad pristinos mores redeunte, & nequitia sua novum illi aditum recludente, asseverat, quod ultima ejus conditio deterior sit priore, quia scilicet Dæmon hoc animadvertens cum septem aliis improbiore spiritibus ad eum, tanquam suam prius derelictam

E

de-



domum, revertitur. Quàm igitur mala conditio futura eorum, qui tertia aut quarta, aut pluribus vicibus in scelestam, socordem, & securam vitam prolapsi, iniquissimo hosti viam & portam ad Spiritualem obsessionem patefaciunt? ut prorsus videatur dici non posse, quod pœnitentia lapsorum toties iterabilis sit.

LXX. Quintò *Elihu* apud *Hiobum* cap. XXXIII. postquam dixisset, *Deum* benignè recipere afflictum, cum supplex oraverit eum, ut adspiciat faciem ejus cum júbilo, & restituere mortali justitiam ejus, subjungit v. 29. ecce omnia ista operabitur *Deus* פַּעַמֵי נְבִרָה עַל שְׁלֹשָׁה תְּרֵיבֵיבֵי שָׁנָה tribus vicibus per singulos, ut vulgata habet, vel bis terque, ut *Tremellius* & alii. Sextò *Judas* in epistola sua v. 5. de Israelitis scribit, Dominum, cum semel eos ex *Agypto* liberasset, τὸ δευτερον τὰς μὴ πισεύσαντας rursus incredulos perdidisse.

LXXI. Quò accedunt duo maxima incommoda, quæ admittenda fuerint, si renati tam sæpè, ut vulgo putatur, gratiâ Dei per peccata proæretica excidere, & pœnitentiâ iteratâ in eandem restitui possint. Unum, quòd salutis certitudo periclitatura sit. Quàm facillè enim fieri posset, ut in tam frequenti ad peccata reditu pœnitentia iteranda antevertatur morte, & in peccatis homo pereat? Alterum, quòd metuendum sit, ne licentiæ peccandi & securitati carnali bipatentes aperiantur fores. Qui enim persuasi sunt, peccatoribus per omnem vitam, quotiescunque gratiæ statu exciderint, patere viam ad gratiam iteratâ pœnitentiâ recuperandam, ii facillè quâcunque arreptâ occasione ad patranda quævis scelera se induci patientur.

LXXII. Non equidem diffiteor, inveniri in Ecclesia semper homines, qui Christi nomen profitentur, & tamen prædictum in modum se gerunt, nempe confitentur statim temporibus peccata coram Christi & Ecclesiæ ministro, testantur voce, se duci illorum pœnitentiâ, petunt illorum remissionem, & vitæ emendationem pollicentur, interiùs tamen & animo in melius non mutantur, sed in impietate pristina perseverant. Quorum pœnitentia, ut hypocritica sive ficta est, non vera, ita in gratiæ statum eos nunquam restituit. Id quod dubitatione caret.

LXXIII.



LXXIII. Neque negaverim, renatos, quò sapius renascentiæ statu per peccata excidunt, eò deteriori fieri conditione, utpote qui Dei longanimitate & gratiâ acceptâ crebrius abusi sibi & culpam majorem & periculum majus attrahunt. Verendum enim est, ne toties in peccata proæretica lapsi callum tandem obducant cordi & indurentur, vel morte repentinâ abrepti in peccati statu pereant. Qua in re præeuntem habemus Apostolum Petrum: *Si, inquentem, posteaquam refugerunt ab inquinamentis mundi per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi, tamen his rursus involuti superantur, facta sunt illis postrema pejora prioribus, Epist. II. c. II. 20.* Quò pertinet illud Pauli, vel si quis alius Auctor est Epistolæ ad Ebræos c. III. 13. *Exhortemini vos quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex Vobis induretur seductione peccati.*

LXXIV. Contrâ autem id etiam non negatur à parte adversâ, renatos posse renascentiæ & gratiæ statu per peccata excidere, & in eundem per pœnitentiam restitui, nec paucos esse, qui semel eo excidunt, & per iteratam pœnitentiam in illum restituantur. Utrum verò pluribus unâ vicibus id fieri possit aut soleat, in quaestionem venit. Quamvis verò dubium non sit, renatos, ubi semel gratiâ Dei exciderunt, & pœnitentiâ actâ in eam restituti sunt, debere deinceps in sanctimoniâ vitæ sectanda cavendisque peccatis sollicitiores cautioresque esse, non tamen desunt causæ cum intratùm extra eos, per quas fieri possit, & in aliquibus fiat, ut gratiâ Dei, per veram pœnitentiam semel & iterum recuperatâ, rursus excidunt, & per pœnitentiam iteratam in eandem restituantur.

LXXV. Intra eos est homo vetus sive prava concupiscentia, quæ etsi per conversionem infirmatur, ne regnet amplius in hominis conversi mortali corpore, non tamen vel per ipsam primam, vel per iteratam secundam, tertiam, aut quartam conversionem ita penitus subigitur, quin homini novo sive Spiritui se sæpe opponat, & dominium affectet. *Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, hæc autem inter se mutuo adversantur, ut non quecumque volueritis, eadem faciatis, inquit Paulus Gal. V. 17.* Et rursus: *Novi, quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: nam velle adest mihi, at ut faciam bonum, non reperio, Rom. VII. 18. Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis mee, &*



*captivum me reddentem legi peccati, quae est in membris meis, v. 23.*  
Quam luctam experiuntur in se renati omnes, etiam qui alterâ aut  
tertiâ vice per pœnitentiam ex statu peccati in renascentiæ statum  
restituti sunt, & quod affectat homo vetus sive concupiscentia re-  
liqua dominium abstrahendo & inescando ad peccandum, tam obti-  
nere in iis potest, quàm fieri potest, ut concupiscentia in ipsis con-  
cipiat. Posteaquam enim concepit, parit peccatum; peccatum verò pera-  
ctum gignit mortem, Jac. 1. 15.

LXXVI. Extra eos sunt mundus & Satanas, qui post alteram  
aut tertiam non minùs, quàm post primam ipsorum conversionem  
operosi sunt, & iisdem, quibus antè artibus, blanditiis, fallaciis,  
& malorum irritamentis postea etiam instant, omnemque movent  
lapidem, ut à Deo iterum eos avertant. Voluntas denique homi-  
nis renati per conversionem, secundo aut tertio iteratam, non magis  
confirmatur in bono, aut à periculo lapsus eximitur, quàm per con-  
versionem primam.

LXXVII. Sed quid multis? renatos posse post primam  
sui conversionem gratiæ statu per peccata excidere, & in eundem  
per pœnitentiam restitui, conceditur. Quidni ergo post secundam  
quoque & tertiam sui conversionem eo per peccata excidere, & per  
pœnitentiam in illum restitui possint? Num fortè conversio altera  
aut tertia efficacior est primâ, tantumque confert virium, quibus  
causæ lapsus ulterioris vel extirpentur prorsus, vel ita infirmentur,  
ut in peccata proæretica hominem inducere amplius non possint?  
An verò Deus gratiam ad iterandam veram & seriam pœnitenti-  
am iis, qui semel & iterum lapsi sunt, amplius impertire non vult?  
ut post iteratam pœnitentiam labi quidem denuò, & gratiæ statu  
excidere, non verò per pœnitentiam in eum restitui possint. Neu-  
trum sanè dici potest. Non prius: quia adultorum conversio seu  
regeneratio, per Verbum Legis & Evangelii iterata, ejusdem est na-  
turæ & rationis cum primâ illorum conversione, neque ad alias,  
quàm illa, vires gratiæ terminatur. Causæ etiam ad peccandâ indu-  
centes, eâ iteratâ, manent eadem, quæ conversione primâ peractâ,  
supererant, ut modò ostensum. Neq; posterius: Quamvis enim de iis,  
qui in Spiritu S. peccant, doceat Auctor Epistolæ ad Hebræos, fieri non pos-  
se, ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintq; donum caeleste, & par-  
ticipes



recipere facti fuerint Spiritus sancti, gustaverintque bonum Dei Verbum  
ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denuo renouentur per poeni-  
tentiam c. I. 6. & si (sic in Spiritum S.) volentes peccaverimus, non ul-  
tra pro peccatis reliquam esse hostiam c. X. 26. de aliis tamen in pecca-  
ta prolapsis Scripturae tale nihil produnt, sed contra consentienter  
docent, Deum patientiam suam invitare eos ad poenitentiam, Rom. II. 4.  
eum patientem esse, nec velle ullos perire, sed omnes ad poenitentiam re-  
verti II. Petr. III. 9. Velle omnes salvos fieri, & ad veritatis agnitionem  
pervenire, I. Tim. II. 4.

LXXIIX. Quin Deus ipse quam erga lapsos voluntate sit, &  
quam ardentem desideret illorum conversionem iteratam, cum ali-  
bi, tum imprimis apud Ezechielem declarat. In cap. XLIX. conque-  
rentibus Israëlitis, se luere in captivitate Babylonica paternorum  
scelerum poenas gravissimas, Deus non tantum quam ratione erga  
justos pariter & peccatores suam administret justitiam, prolixè ex-  
ponit, sed expressè etiam testatur, se nolle mortem improbi, sed  
contra velle ejus resipiscentiam & salutem. Verba Domini  
sunt inter alia: *justitia justus cum ipso erit, & improbitas improbi  
cum ipso erit. Cum autem improbus conversus ab omnibus peccatis su-  
is, quae fecit, observabit omnia statuta mea, & exercebit jus & justiti-  
am, omnino vivet, non morietur, omnes defectiones ejus, quas com-  
misit, non commemorabuntur ei, in sua justitia, quam exercet, vivet.*  
*An ullo pacto volo mortem improbi? dictum Domini Jehova, annon ut  
revertatur à viis suis, & vivat? sed cum averrens se justas à justitia  
sua facit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas fecit im-  
probus, facit, hincine viveret? omnia justè facta ejus, quae fecerit,  
non commemorabuntur, propter praevaricationem ipsius, quae praevari-  
catur, & propter peccatum ipsius, quo peccat, propter haec morietur.*  
Gemina his habentur Cap. XXXIII. II. ubi cum Israëlicae existima-  
rent, se tabefactum iri in peccatis suis, omnemque restitutionis  
speciem & spem à Deo sibi praecisam esse, Deus ad Prophetam, Die-  
eis, inquit, *vivam ego, dilectum Domini Jehova, si volo mortem impro-  
bi, sed ut revertatur improbus à via sua, & vivat: revertimini, rever-  
timini viis vestris pessimis, cur enim moreremini Domus Israelis?*  
Quibus Deus non modò gratiam & remissionem peccatorum sine  
restrictione omnibus promittit peccatoribus, qui postquam à justitia



ria sua averti, & in peccata proæretica prolapsi sunt, pœnitentiam egerint, non habitâ ratione, unâ? an pluribus vicibus fuerint lapsi? sed etiam jurejurando asseverat, se nolle mortem ullius peccatoris, & velle contrâ, ut actâ pœnitentiâ omnes vivant: sicut in hunc universalem sensum verba Jehovæ, indefinitè posita, Apostoli Paulus & Petrus in locis jam allegatis acceperunt, *1. Tim. II. 4. II. Petr. III. 9.*

LXXIX. Quod apud *Ezechielem* Deus tam sanctè asseruit, & jurejurando confirmavit, id ipsum jam olim ipso facto ostendebat in populo Israëlitico, delecto in ipsius *peculium*, ut esset sibi *populus sanctus & peculiaris*, præ omnibus populis terræ, *Deut. XIV. 2.* Qui ubi viderant Dei miracula illustra, præsertim illud omnium illustrissimum & maximum, quo mari rubro diviso transierant sicco pede, Pharaone & Ægyptiis, eos insequentibus, aquâ obrutis & deletis, *timuerunt Dominum, credideruntq; Domino, & Mosi ser-vo ejus*, ut scriptum *Exod. XIV. v. ult.* At quam primum levis aliqua adversitas ingruerat, vel occasio alia erat, à fide desciscebant, vel ut Deo diffiderent, vel ut prorsus in idololatriam prolaberentur. Legatur *Exod. cap. XIV. XV. XVI. XVII. XXXII. Num. XI. XIV. XVI. XX. XXV.* Idq; est, quod Dominus ipse *Num. XIV. 22.* iis exprobrat: *Omnes isti, inquit, homines, qui viderunt gloriam meam & signa mea, que feci in Ægypto, & in deserto, tentarunt me jam decies, & non auscultarunt voci mee.* Confer *cap. III. v. 8. seq.* Epistolæ ad *Hebræos*. Nihilominus patuit ipsis aditus ad pœnitentiam & gratiam, ut ex eodem *XIV. cap. v. 19.* constat, ubi Moses deprecatione suâ Dominum flexurus; *Condonâ, inquit, quæso iniquitatem, populi hujus pro magnitudine benignitatis tue, & prout condonasti populo huic ab Ægypto hucusque.* Cùm jam prope esset transitus in terram sanctam, *Moses* eos exhortatus est, ut constanter Deum solum colerent, & judicia ejus fervarent, nec quicquam iis adderent aut demerent, contestatusque est cœlum & terram, fore, ut, *si sculptile adorarent, vel malum aliud committerent in oculis Jehovæ, celerrimè perderentur, aut in alias Gentes dispergerentur*, sicut legitur *Deuter. IV, 25. seq.* Ne tamen desperarent dispersi aut afflicti propter peccata, viam ad pœnitentiam ipsis commonstravit *v. 29.* his verbis: *Quodsi requiretis inde (quisque) Jehovam Deum tuum, invenies, cum quaesiveris eum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, quandoquidem Je-*  
*hova*



hova Deus tuus fortis misericors, nec deseret te, neque perdet te: nam non obliviscetur fœderis Majorum tuorum, quod juramento sancivis illis. Et sanè ingressi postmodum terram promissam Israëlitæ multifariam à Deo suo defecerunt, qui nihilo secius per Prophetas suos instanter ad pœnitentiam eos invitavit, *Esa. I, 16. Ezech. XVIII, 21. seqq. c. XXXIII, 11. Joel. II, 13. Ose. XIV, 2. Malach. III, 7.* nec Sponsæ suæ, quantumvis seipsam abdicaverit, idq; sæpius, & cum multis amicis scortata fuerit, libellum repudiï dedit, *Jerem. III, 1, 5. 14.*

LXXX. Neque convellendæ nostræ sententiæ idoneæ sunt rationes, superius n. *LXVI. seqq.* in partem negativam adductæ. Quod enim attinet I Locum *Proverbiorum IV.* describitur in eo justorum felix conditio voce consuetissimâ *פְּנִימָה* *femita*, & comparatur luci matutinæ, quæ subinde augetur usque ad diei perfectiōnem, sicut ex opposito impiorum infelix conditio caligini crassisque tenebris confertur. Ex quo quâ consequentiæ lege sequatur, justos non posse femitâ illâ sive conditione felici semel & iterum per peccata excidere & in eandem per pœnitentiam restitui, minime apparet. Argumentum inde exstructum ita habet: *Si pœnitentia lapsorum unâ pluribus vicibus iterabilis esset, sequeretur, semitam justorum non esse similem luci splendidae, quæ subinde incrementa sumit, usque dum perfectus (sempiternæ nimirum felicitatis) dies ingruat; sed esse similem luci inconstanti, quæ mox augetur, mox iterum minuitur, imo planè deficit. Sed consequens est falsum: Ergo & antecedens.* Verùm consequentiam vacillare quis non videt? Quemadmodum enim non sequitur; si unâ pluribus vicibus viator à via lucida per errorem in viam caliginosam abduci, & in eandem reverti potest, viam illam lucidam non esse talem, ubi mera lux est, subinde incrementum sumens: Ita non sequitur; Si unâ pluribus vicibus renati possunt relabi in peccata regnantia, quibus sua felici conditione excidunt, & in eandem per pœnitentiam restitui, semitam justorum non esse similem luci splendidae, quæ subinde incrementa sumit, usque dum perfectus (sempiternæ felicitatis) dies ingruat, sed, si quicquam, hoc sequitur



quitur, renatos five justos non esse semper in semita justorum, quæ in se semper lucida & luci matutinæ, subinde incrementa capienti, similis est, constantes, sed pati se quandoque veteris hominis & pravæ concupiscentiæ illecebris inescari, & à semitâ lucida abduci, ut tamen Dei gratiâ per pœnitentiam ad eam redeant. Quod Scripturis sacris per omnia consentaneum atque adeò verissimum est.

LXXXI. Non majoris momenti est II. argumentum, ex cap. VI. Rom. desumptum, quod ita habet: *Si toties iterari posset pœnitentia lapsorum, Paulus tam sollicitè nos non cohortatus fuisset, ut quemadmodum Christo mors non amplius dominabitur, sic nos etiam semel peccato mortui posthac non pateremur peccatum nobis dominari. Sed Paulus l.c. sollicitè nos ad hoc cohortatus fuit: ergo pœnitentia lapsorum toties non potest iterari.* Nam consequentia rursus vacillat. Potuit enim Paulus hortari renatos, ut peccato semel mortui deinceps illud sibi dominari non paterentur, non obstante, quòd renascentiæ statu per peccata excidere, & in eundem per pœnitentiam restitui possint. Imo Paulina exhortatio supponit potius, renatos esse peccandi periculo adhuc obnoxios, & posse statu renascentiæ suæ excidere; nec ulla consequentiæ lege infert, eos non posse per pœnitentiam in illum restitui: sicut ex eo, quòd medicus hominem intemperantem, qui crebris potationibus gravem morbum sibi contraxit, post reparatam valetudinem monet, ut deinceps intemperantiæ renunciet & quasi moriatur, inferri non potest, quod si postea per crapulam eundem morbum denuo sibi acciverit, ad medicum reverti, ejusque opem implorare non possit aut debeat. Hinc Johannes in Epist. I, c. II. 1. simul & à peccandi studio nos dehortatur, & peccanti viam ad pœnitentiam & gratiam petefacit, cum ait: *Scribo vobis hæc, ne peccetis, & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.*

LXXXII. Equè infirmum est III. argumentum ex I. Petr. IV. 2. peti- tum, quod sic habet: *si pœnitentia lapsorum toties iterabilis esset, Petrus non dixisset, quòd qui passus est in carne, destiterit à peccato*



peccato, ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis, vivat. Atqui dixit hoc Petrus l. c. Ergo. Siquidem & in hoc argumento consequentia laborat. Tametsi enim renati vel centies possint relabi in peccata regnantia, quæ Christianismo eos excludunt, & centies iterum ipsis regressus ad pœnitentiam pateat, verissimum nihilominus manet dictum illud Petrinum, quod quicumque verè passus est in carne, h. e. carnem suam ejusque concupiscentias crucifixit, & mortificavit, ne regnare amplius possint in suo mortali corpore, is etiam à peccato destiterit, ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis, vivat, h. e. quod vitæ priori prorsus renunciavit, & firmiter sibi proposuerit, non amplius secundum communem hominum morem & eorum studia, sed secundum Dei voluntatem & ipsius præcepta vivere, atque adeò in gratia, in quam adductus est, persistere. Quemadmodum enim caro cum concupiscentiis suis in hac mortalitate non penitus aboletur, sed ex parte manet, & adversus Spiritum assiduò luctatur, ita per reliquam carnis concupiscentiam contingere potest, & contingit quandoque, ut qui destiterat à peccato, non jam concupiscentiis hominum, sed voluntati Dei, quod superest in carne tempus victurus, rursus in peccata prolabatur, & gratiæ statu excidat.

LXXXIII. IV. Argumentum ex *Matth. XII. 44. seq. & Luc. XI. 24. seq.* in forma sic habet: *Aut pœnitentia lapsorum toties non est iterabilis, aut falsum est, quod secundo lapsi conditio deterrior priore, & per consequens sæpius lapsorum conditio deterrima sit. Sed hoc non est falsum, quia Christus ipse docet locis citatis, qui nec falli nec fallere potest. Ergo pœnitentia lapsorum toties non est iterabilis.* Sed rursus negamus consequentiam. Non enim inter se pugnant hæc duo; secundo lapsi conditionem deterriorem priore, ac consequenter sæpius lapsorum conditionem deterrimam esse; & pœnitentiam lapsorum posse sæpius reiterari, quamvis non absque periculo & difficultate. Non enim secundo lapsi conditio deterrior priore, & sæpius lapsorum conditio deterrima est propter negatam aut præclusam ipsis viam

F

ad



ad pœnitentiam, sed propter alias longè causas, inter quas sunt carnalis securitas, & induratio cordis, quæ plerunq; crebros lapsus in peccata regnantia, Diaboli fraude, sequi solent, quibus fit, ut difficulter à malo avertantur. Scite *B. Luherus ad Gen. L. fol. 240.* scribit: *Quanquam promisit Deus veniam, sicut ait Augustinus, tamen non promisit hoc, quod (peccator) certò sit rediturus post lapsum, sicut Saul & Judas non redeunt. Non est in nostra potestate apprehendere gratiam, neque scis, an possis remissionem oblatam accipere. Ideo timendus est Deus, qui & præsumptionem & desperationem odit, sicut nolo peccatorem, inquit, ita nec mortem peccatoris volo.*

LXXXIV. Quod attinet V. locum ex *Hiob. cap. XXXIII.* de sumptum, ex illo Judæi etiam mirabile dogma de peccatorum remissione formârunt: videlicet si quis peccet semel, iterum, tertium, peccati illius in iudicio Divino, ceteris tamen paribus, nullam haberi rationem; at quantum si peccaveris, nullam admittere gratiam, ceteris factam. Hinc viam mortis quatuor portas habere ajunt, singulisque adstare quatuor angelos רחמנים, oppositos aliis tribus, qui iatus lateant, & appellantur אכזריים crudeles: illos dehortari mortales ab ingressu singularum portarum; quod si ultimam quoque intrare velint, tum certatim clamitare; hancusque *S. B.* ille recipit pœnitentes, & condonat peccata: quod si quis quartam quoque intrare præsumat, arripere eum angelos crudeles, ejusque animam auferre. Ita refert *B. Hackspanius in Notis Philol. Theol. adh. l. p. 859.* Sed quemadmodum huic commento Judæorum præsens locus minimè favet; sic etiam oppositæ nobis sententiæ nullum in illo præsidium est. Non urgeo, quòd cum verba illa non sint *Hiobi*, qui Divino testimonio rectum locutus dicitur, *cap. XLII, 7.* sed *Elibu*, in medio relinqui possit, verum sit nec ne, quod illis significatur. Tantum observetur, quid velit *Elibu*? Non sanè est ipsi sermo de eo, quoties lapsis pateat regressus ad pœnitentiam; sed de vicissitudine calamitatum & liberationis ex illis, quæ piis etiam in hac vitâ שלש פעמים id est, aliquoties contingant, ut, si peccarunt, ad frugem redeant, sibi que caveant ab exitio, quod contextus docet.

LXXXV. Nec VI. adversatur nobis *Judas*, quando docet,

Do-



Dominum, cum Populum ex Aegypto liberasset, rursus eos, qui non credebant, perdidisse. Nam agit Judas de Hæresiarchis sceleratis, qui in Ecclesiam Dei irrepsert, τὴν τῆς Θεῆς ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, id est, qui gratiâ Dei, quâ nos per Christum & ejus Evangelium non tantum à peccatis nostris purgavit, sed etiam ab asperitate & severitate legis Mosaicæ liberavit, ad petulantiam & lasciviam impudenter abutebantur. Hos pœnam Divinam neutiquam evasuros tribus exemplis ostendit Judas, Israëlitarum, qui propter incredulitatem in deserto ceciderunt, exitio; rebellium angelorum pœnâ, ac Sodomorum & Gomorrhæ inflammatione. Sed exinde, si quicquam, nihil aliud, quàm hoc sequitur, periculosissimum esse, post agnitam veritatem tam flagitiosè vivere, propter severa Dei judicia in contumacibus & securis peccatoribus puniendis.

LXXXVI. VII. Argumentum sic habet: Si pœnitentia lapsorum aliquoties est iterabilis, sequitur, quod renati non possint esse certi de sua perseverantia in fide & salute, cum faciliè contingere possit, ut lapsorum pœnitentiam mors antevertat. Sed consequens est falsum: Ergo & antecedens. Respondetur: consequens vel intelligitur de certitudine absolutâ, vel de certitudine hypotheticâ. Si de illâ; non falsum, sed verissimum est. Nam renati tametsi de sua justitia seu justificatione præsentis certi sint absolute & simpliciter, suâ, quam in Christum habent, fide & Spiritus S. testimonio, quod illorum cordibus perhibet, Rom. VIII, 16. eos certos reddente; de perseverantia tamen in fide & gratia usque ad finem non æquè absolute & simpliciter certi sunt, quam diu ipsis in hac vita cum spiritualibus hostibus, Diabolo, mundo & carne pugnandum est. Possunt enim in lucta hac succumbere; possunt media ad perseverandum in fide ordinata negligere, vel non convenienter adhibere &c. Si verò consequens intelligatur de certitudine hypothetica, neganda est consequentia. Etenim licet renati vel centies relabi possint in peccata contra conscientiam, & toties etiam regressus ad pœnitentiam ipsis pateat, nihilominus possunt esse certi, se, si mediis gratiæ & salutis convenienter utantur, Deique opem devotis precibus indefinenter implorent (quod per gratiæ vires acceptas facere possunt) perseveraturos esse in fide & sanctimonia vitæ,



& tandem aliquando salutem æternam certò obtenturos. Quæ certitudo, uti patet, hypothetica est.

LXXXVII. VIII. & ultimum argumentum sic habet: *Que sententia peccatorum securitati latam fenestram aperit, illa rejicienda est: Atqui affirmativa nostra sententia, quâ statuimus, renatis, quoties per peccata contra conscientiam renascentie statu exciderint, regressum ad pœnitentiã patere, peccatorum securitati latam fenestram aperit: Ergo.* Sed falsissima est minor propositio. Sicut enim dici non potest citra impietatem, mandatum Christi, quo jussit nos proximo pœnitenti remittere delicta sua septuagies septies, id est, quoties nos offenderit, viam proximo aperire, quâ post sui cum nobis reconciliationem citò ad volutabrum, quod ajunt, revertatur, & læpius ac securius nos offendant, ita nec dici potest, affirmativam nostram sententiam latam fenestram aperire peccatorum securitati. Solent quidem impii & flagitiosi homines eã ad petulantiam & malitiam suam abuti: quod Apostolorum tempore faciebant homines scelerati, qui eò securius posthac peccari posse existimabant, quò facilius semel veniam omnium peccatorum suorum impetrassent, de quibus Judas dicit; quòd *Dei gratiam transtulerint ad lasciviam.* Sed ut dici non potest, gratiam Dei, quâ nos per Christum ejusq; Evangelium à peccatis nostris purgavit, aperuisse illis hominibus improbis viam ad securitatem & lasciviam; ita nec rectè dicitur, doctrinam de gratia & misericordia Dei, qua non vult mortem peccatoris ullius, nec ulli viam ad pœnitentiã præcludit, latam fenestram peccatorum securitati aperire.

LXXXVIII. Et hæc hæctenus de quæstione controversa: utrum pœnitentia lapsorum, propriè dicta, secundum Scripturas saltem toties, ut vulgò existimatur, iterabilis sit, nec ne? Nunc, ut è diverticulo benè longo in viam tandem redeamus, postquam infidelium & lapsorum conversionem contemplati sumus, restat, ut paucis etiam eos, qui in gratiæ statu constituti sunt, & *Stantes* appellantur, consideremus.

LXXXIX. Ubi sese offert dubium, an *Stantes* capaces sint conversionis? Nam conversio suã naturã est motus hominis, per peccata à Deo aversi, quo is è peccati statu tendit ad rectitudinem sibi in esse debitam, fidem scilicet, cum proposito vitam emendandi



Qua  
Que  
icien-  
natis,  
erint,  
stram  
a dici  
t nos  
d est,  
cum  
ever-  
affir-  
rum  
etu-  
e fa-  
boffe  
rum  
iam  
nos  
ape-  
am;  
qua  
iam  
u-  
ras  
ne,  
am  
lat,  
tes  
int  
per  
em  
n-  
di

dandi conjunctam, quæ rectâ fertur in Deum, tanquam suum ob-  
jectum, & peccatorem cum ipso redunit. Sed *Stantes*, qui recti-  
tudinem sibi inesse debitam, & jam olim in regeneratione rece-  
ptam, per peccata contra conscientiam non iterum amiserunt, vel  
amissam denuò recuperârunt, non sunt à Deo per peccata averfi,  
sed per rectitudinem sibi inesse debitam, fidem scilicet, conjun-  
ctissimi Deo sunt, nihil quicquam obstantibus ignorantia & in-  
firmitatis peccatis, quæ illis insunt: hæc enim non imputantur  
ipsis propter Christi meritum fide apprehensum, sed habentur in  
conspectu Dei tanquam non facta, quamdiu fidem non excutiunt:  
*Nulla enim condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu, non secundam  
carnem ambulantes, sed secundum Spiritum, Rom. VIII, 1.*

XC. Huc spectare videtur, quod *Matth IX, 13. Marc. II,  
17, Luc. V, 31. seq.* Christus dicit, *se non venisse ad vocandum justos,  
sed peccatores ad pœnitentiam, non enim valentes opus habere medicos,  
sed ægrotos;* & *Luc. XV, 7.* in parabola de centum ovibus, & una ex  
illis deperdita, *gaudium fore in cœlo super uno peccatore resipiscente  
magis, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœniten-  
tia.* Etenim quamvis nonnulli per justos intellectos velint eos, qui  
falsâ & Pharisaicâ persuasione inducti temerè præsumunt, se esse  
justos, nec indigere pœnitentiâ; tamen commodius intelliguntur  
renati, seu *Stantes*, qui fide justificati in renascentiæ statu Dei  
gratiâ persistunt, nec habent in se *κατάνεμα* seu peccatum, quod  
actu illis ad damnationem imputetur, atque adeò hoc respectu  
peccatores non sunt. Præterquam enim quod nulla cogit ne-  
cessitas, ut alios intelligamus, obstat etiam, quod *Matth. XVIII,  
12.* nonaginta novem oves, quibus correspondent in accommo-  
datione parabolæ nonaginta novem justis, clarè dicuntur non er-  
râsse. Quid? quod utique Christus venit ad vocandum eos etiam  
peccatores ad pœnitentiam, qui Pharisaicâ persuasione præsumunt  
se esse justos: hi enim nequaquam valentes sunt, sed ægroti, qui  
maximè indigent medico, cum ut ad morbi, peccatorum, agni-  
tionem eos perducatur, tum etiam ut à peccatis eos sanet. Quare  
legimus, Christum etiam Pharisaeos ad pœnitentiam ferio vocâs-  
se, dum ipsorum hypocrisin & peccata iis ob oculos posuit.

XCI. Accedit, quod Scriptura Sacra nuspam eos, qui fide



justificati in renascentiæ statu Dei gratiâ persistunt, ad conversionem, seu resipiscentiam hortatur; sed impios, qui per peccata à Deo averfi sunt. *Ezech. XVIII, 9.* dicitur de iusto, quod omnino non vivet, nullâ conversionis mentione adjectâ; de impio autem *v. 23.* dicitur: *an ullo pacto volo mortem improbi, dictum Jehovæ? annon ut convertatur, & vivat? Esa. LV, 7.* dicitur; *Derelinquat improbus viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, revertaturque ad Jehovam, ut misereatur ipsius, & ad Deum nostrum, quia plurimum condonat.* Similia passim alibi locorum occurrunt.

XCII. Contrâ autem quia Stantes etiam quotidie sentiunt in se concupiscentiæ motus inordinatos, nec non dictis & factis sapièssimè peccant, habent utique & ipsi, à quo se avertant, & cuius culpam ad Deum conversi deprecantur. Hinc *Hieronymus Epist. XLV.* *Quia, inquit, semper peccamus, semper pœnitentiam agere & resipiscere debemus.* Et *Gregor. in lib. II. Reg. c. II.* *Quia quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus.*

XCIII. Ut breviter dicamus, quid sentiendum sit, negari non potest, quod stylo Scripturarum usitatè conversio sit tantum improborum, qui peccatis suis, velut pariete inter ipsos & Deum interposito, reapse à Deo averfi sunt: sed nec illud negari potest, quod Stantes etsi Deo per fidem conjunctissimi sint, nihilominus habeant peccata, quæ quotidie agnoscere, detestari, & fide ad Deum conversi deprecari debent. Hinc videtur dicendum, quòd *conversionis* vox in duplici significato possit accipi: uno speciali, prout solum tribuitur improbo, qui ad conjunctionem sui cum Deo in potentiâ constitutus est; altero generali, prout sese convertere & resipiscere dicuntur, quicumque se peccatores esse agnoscunt, peccata à se, quantumvis ex infirmitate, admissa detestantur, & fiduciâ meriti Christi erecti eorum veniam & remissionem petunt. Conversionis, priori modo acceptæ, Stantes non sunt capaces, quia a Deo non sunt averfi, nec in potentiâ ad conjunctionem sui cum Deo constituti. Sed conversionis, posteriori modo acceptæ, capaces sunt.

XCIV. Dicis: Ergone pœnitentia Stantium non est univocè dicta conversio?

XCIV,



XCV. Respondetur, non esse conversionem univocè di-  
ctam, si vocem conversionis accipias priori modo; esse, si poste-  
riori modo accipias.

F I N I S.

\*\*\*

**N**E Te *pæniteat* Divinos nocte dieque  
evolvisse piâ sedulitate libros.  
Acquires fructus, si sic perrexeris, inde,  
quorum Te nunquam *pænituisse* potest.

*Clarissimo Dn. Auctori Disputationis Benevo-  
lentiae testanda causâ appon.*

PRÆSES.

**Q**uam bellè in *Sophico* pugnaris *pulvere*, LANGI,  
jam dudum in Patriam nuncia fama tulit.  
Nunc exit vestram divulgatura per Urbem,  
quàm sis & *Sacris artibus* eximius;  
Quæ Te, *si doceas*, decoret facundia linguæ,  
quis, *si depugnes prælia Sancta*, vigor.  
Cum dabitur patrios salyū Te invisere Lares,  
constabit famam re retulisse minus.

*Cl. Dn. M. Langio, Contubernali hæctenus meo suavissimo,  
de presenti Specimine Theolog. animitus gratulatur, &  
jamjam in Patriam iturienti propitios Viales precatur*

M. JOH. JACOB PORZELIUS.

*Vir-*



*Virtute & eruditione Pereximio atque Praestantissimo*  
DN. M. MATTHIAE SEBASTIANO  
LANGIO,

*Conterraneo dilectissimo.*

MAvortis miles qui castra cruenta secutus,  
Invictâ pugnat praelia crebra manu:  
Victor ovat lauro viridi mox tempora cinctus,  
Et repetit latus patria testa redux!  
Miles in Aoniis steteras quoque pervigil armis;  
Hinc spoliū & prædam nunc cape; Vi-  
ctor ova!  
Præmia larga Tibi spondet Respublica dudum;  
Ingenio & studio præmia digna Tuo!  
Gratulor inde Tibi meritò; superosq; precabor,  
Instans optatum quo Tibi cedat iter!  
Ergo vale, salveque diu, dulcissime *Langi,*  
Et Patriæ & Patris delictum atque decus!

*Φιλοφρόνως scribebat*

ANDREAS JANUS,  
Ratisp.

---

Imbriolim, patrios Lares, Clarissime Langi,  
Focosque dulces reppetis  
Artibus egregiis juxtâ ac pietate decorus:  
Sic ire Te juvat domum!

*Hisce Amico & Conterraneo honoratissimo  
gratulatur*

C. A. Steininger/



00 A 6344


3  
ULB Halle  
002 847 086  


Retro ✓


VDA











6.

Q. D. B. V.  
DE  
**CONVERSIONE**  
**HOMINIS PECCATORIS**  
**AD DEUM, SIVE DE RE-**  
**SIPISCENTIA**  
**THESES THEOLOGICÆ**  
*PRÆSIDE*  
**DN. JOHANNES MUSÆO,**  
**SS. THEOL. D. & P.P. PRIM. PLUR.**  
**VENER. FACULTATIS THEOL. SE-**  
**NIORIS, SPECTATISSIMO**  
*Die Septembris, horis locoque solitis*  
*ventilanda*  
**M. MATTHIA SEBASTIANO**  
**Yang / RATISPONENSI.**

*JENÆ,*  
**TYPIS BAUHOFFERIANIS,**  
**ANNO MDCC LXX.**

5.

